Ex duobus extremis, locis calidis homines sapientiores sunt quam frigidis; eadem de causa quá etiam senes, quàm juvenes sapientiores; etenim qui sedes frigidas habent, frigore loci obsistente, longè calidiores quàm suá sint naturá reduntur; itaque vinolentis admodum similes esse videntur, nec ingenio valent quo prospiciant, rerumque rationes inquirant. Contra qui loca calida habitant sobrii propterea sunt, quia possunt satis refrigerare. Fit autem quaque ire, ut qui metuunt magis, quàm qui confidunt velint inquirere, itaque magis valeant invenire 7.

Non inficior

Summos posse viros, & magna exempla [illegible]
Vervecum in patriâ, crassoque sub [illegible]

Sed jura constitui oportet in his [illegible] accidunt, non quæ fortè uno aliquo [illegible] possunt 8.

QVALITAS II.

Genus.

NObilitate bene firmantur omnes artes; doctrinæ per facile est ornare generosum 1. *Nam* timor

Domini

Ioan. Mariana histor. Hispan. lib. 10. cap. 13.

6. Iust. Lips. li. 5. Iepist 66.

7. Aristot. Sect. sive partic. 14. Problem. 15.

8. Alciat. in verb. sign. lib. 1. col. mihi 27. refert ex Satyrico.

9. L. 3. & 4. ff. de legib.

Ex doctrina Princip. lib. 1. cap. 27.

Cassiodor. lib. 9. epist. 9.

Domini principium sapientiæ[1]; Os justi parturit sapientiã, labia justi considerant placita[2]; ut præsumitur quis descendens ex nobili genere quod sit vir nobilis, & virtutis studiosus, sicut & è converso[3]. Præsumuntur liberi ex nobilibus progeniti tales esse, quales fuere eorum maiores, qui suis virtutibus nobilitatem sibi, posterisque comparârunt; reliquum est ut & ipsi virtutibus, tum naturâ, tum parentum exemplo & imitatione prædicti esse præsumantur; sed & Plato hanc quoq; rationem animadvertit cum scribit in 1. lib. Alcibiadis, qui est de naturâ hominis; consentaneum esse meliores esse naturas ex nobili genere, quam ignobili, quod & discipulus ipsius Aristot. repetit lib. Polit. 3. cap. 8. dum dicit nobilitatem ob id in honore haberi, quia consentaneum est ex melioribus ortos esse meliores; est enim, inquit, generis virtus nobilitas, & idem lib. 3. Rhetor. ad Theodecten, c. 16; Nobilitas (ait) & educatio ad faciendam fidem adhibentur; verisimile enim est probum ex probis, & bene educatum in probum virum evasisse[6].

2 *Sic* Aulus Ofilius in equestri ordine perseveravit; Tubero fuit patritius, Massurius Sabinus in equestri ordine fuit; fuit & Longinus ex equestri quidem ordine[7]; Ulpianus nobilis, nobilissimus[8]. *Sic* data paritate temporis & gradus inter doctores habetur consideratio nobilitatis, quia duo vincula magis stringunt[9].

3 Filii Doctorum aliis, etiam æque bonis præferuntur[10]. *Nam ut* fortes creantur fortibus[11], Philosophus,

1 *Proverb. 1.*
2 *Proverb. 10.*
3 *Alciat. de præs. reg. 1. præs. 48. n. 1.*
6 *Tiraq. de nobilit. c. 10. n. 21.*
7 *L. 2. §. post hos, & §. post hunc, & §. fin. de orig. jur.*
8 *L. 2. §. fin. l. diximus 4. §. fin. de extraord. cogn.*
9 *Cassan. in cath. glor. mund. p. 10. consid. 35.*
10 *Gloss. verbo sumptuosus l. 3. §. proinde vulis verse. de filius t. advers. div. judicum.*
11 *Horat. libro 4. Carm. Ode 4.*

12 Tiraq. supra.

losophus, Philosophum generat [12]; & qui habuit maiores suos alicujus artis peritos, si ipse in eá se exerceat, præsumitur quod etiam sit ipse bene peritus, quod nota pro filiis doctorum [13]. *Sic* Quintus Mucius, Publii (*qui fundavit jus civile*) filius, jus civile primus constituit generatim in libros decem & octo redigendo; Labeonis Antistii pater fuit Cinna; Caius Cassius Longinus natus ex filiá Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpicii; Nerva, Nervæ filius; Celsus, Celsi filius [14]. *Vnde Iustinian. commend. t.* Anatolium virum illustrem magistrum qui & ipse apud Berytienses juris interpres constitutus ad opus *copilationis juris* adlectus est; vir ab antiquá stirpe legitimá procedens; cum & pater ejus Leontius qui post Patritium inclitæ recordationis quæstorem, & antecessorem, & avus ejus Eudoxius post Leontium virum gloriosissimum prætorium consularem atque Patritium filios ejus, optimam sui memoriam in legibus reliquerint [15]; *& jubet* filios advocatorum vel eorum qui fisci patronatum deposuerint, extraneis ad idem officium accedentibus anteponi, eique gratis, & sine sumptibus sociari, si & ipsi (prout dispositum est) solito tempore legum doctrinam meruerint [16].

13 Alciat. sup.

14 L. 2. ex §. juris civilis de orig. jur.

15 L. 2. §. quæ omnia versic. sed & Anatolium C. de vet. jure enucl. & in præfat. ff. ad med.

16 L. 3 §. pro Sportulis C. advoc. div. judic. vide Tiraq. sup. n. 8. Mastril. magistr. lib. 1. cap. 28. Dominic. de Ponte decis. 27 Valasc. cons. 129. n. 13. l. nemini l. 3. per §§. C. advoc. div. judicior.

Ignobiles inepti; quoniam in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis; Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate [17]. *Planè*, ille qui

17 Sapient. 1.

qui per se ignotus est, & maiores suos longè obscuriores habet parvam admodum jacturam sibi facere videtur si aliquando deliquerit [17]; similes parentibus suis filii plerunque creduntur, & non nunquam adhonestè, turpiterque vivendum inde causæ fiunt [18]. *Etenim etiamsi ignobilis evadat sapiens*, sapientia sine nobilitate est quid grave, & præcepta scientis ignobilis intolerabilia [20]; *quod magis in præcedit in his qui sunt alicujus nationis infamatæ*, præsumptum etenim est quosdam malos videri, quia eâ natione sunt qui magis infamis est [21]; neque potest arbor mala bonos fructus facere [22].

5. *Sed quid tantum contra ignobiles?* pater Socratis fuit Sophronicus statuarius, mater Phanarete obstetrix; Demosthenes natus patre qui Cultellarius cognominatus est, quod domi haberet officinam, & operarios cultellorum [23]; *similisque generis probos & sapientes viros quis dicta agnoscimus?* Respondeo, Quod bonus vir mihi nobilis videtur [24], nam cum multos una produxerit dux ex patre, ex matre, neque præstantior alio natus sit; alios sors infortunii, alios nostrum opes, & felicitas separarunt; unde evenit ut aliqui nobiles servitutis jugo premantur [25]. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? [26] Si paupertas, vel divitiæ non faciunt quemquam ignobilem, vel nobilem esse, sed communendatio vitæ [27]. *His dico*: Si te rusticus vilem genuisset agricola, nobilis animi non foret ista tua [28].

6. Spurius non potest dici contra ingenuus, dicor ratio [29]. Unde illa communis opinio, quæ ita

[17] *Patrit. decurs. lib. 1. tit. 4. pag. 15.*
[18] *Quintil. lib. 3. ca. 10.*
[20] *Ex Rebadillan. lo. tit. lib. 2. c. 4. n. 23.*
[21] *L. quod § 31. qui mancipia de adilit. edict.*
[22] *Mat. cap. 7.*
[23] *Conrad. Gesn. in onomasticon propr. nomin.*
Euripides apud Stob. serm. 8. Stobæum Serm. 48. secundum tradutionem Gesneri.
[24] *Mat. cap. 7.*
[25] *Salicet. in lib. milem 7. C. de Incest. nupt.*
[26] *Fauste verum à Cassiodor. thal. 9. 8. ad fid. 7.*
[27] *Tiraquel. de nobil. cap. 15. n. 15.*

mandum est degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum universam plebem ad deteriora, & ignobiliora urgentem, & novissimé nec in bello secundari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam 30; *dicitur* eos esse plantas infructuosas, & ab omni jure exosos 31; *quæ in dubio intellige, propter præsumptionem juris*; *nam* si parentum vitia non sectentur, & Deum rectè colant honesti, & salvi erunt 32; unde si proponas filium sacerdotis virum probum, & honoratum, non furem, non vinosum, non luxuriosum, aut aliquo notabili vitio inquinatum, absque dubio non censebo eum turpem personam 33; non enim impedienda est dignitas ejus qui nihil deliquit 34; Bartolus, & Joannes Andreas, & Jason viri illustres, & extra aliorum aleam positi spurij fuerunt 35, *& plurimi*, aut belli gloriá, aut literarum studiis, aut aliis vitæ generibus clari 36; *nunquam tamen* pari jure cum legitimis censeri possunt; sicuti nec rustici cum civibus, plebei cum patritiis, juniores cum seniorbus sunt conferendi; sic vel levis rumor de alicujus spurij vitá maiorem semper suspitionem solet injicere, quàm si illud idem publicè de aliquo legitimo prædicetur; & generaliter quoties spurius cum legitimo concurrat, æquis indulijs legitimorum causa potior haberi solet 37.

Tandem nobilis ob maiorem nobilitatem ne glo- 7
gloriaris 38; *nec facias quæ tibi objiciatur*: tu tuis maioribus vitá quam turpiter egisti magnas effudisti

30 Cap. si gens Anglorum 56. dist.

31 Gama decis 167. n. 2.

32 Cap. undecunque 56 dist.

33 Alvar. Valasc. consult. 17. n. 3. versu præterea.

35 L. Spurii de Decurian. ex ibi Glos.

36 Valasc. supra ad fin.

36 Paleot. de Nothis & spuriis cap. ult.

38 Paleot. supra cap. 55. n. 16. & 17.

38 Monec. lib. 2. Matissæ serm. 79.

disti tenebras, ut eriam si fuerint egregii cives certe venerint in oblivionem 39; *sed potius tibi dicatur*:

O qui nominibus cum sis generosus avorum
Exuperasimorum nobilitate genus 40.

Ignobilis fac ut jure dicas; meum genus à me habet originem 41; ego meis maioribus virtute meâ præluxi; ut si prius noti non fuerint à me accipiant initium memoriæ suæ; factus est me meis rebus gestis nosci, quam maiorum opinione niti; & ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum 42. *Sic nobilis sanguine, aut virtutibus, doctrina perfacile exornaberis; nam*

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma excipiens,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles 43.

39 *Cicer. in orat. contra Sallust.*

40 *Ovid. Trist. l. 4. Eleg. 3.*

41 *Brisonius lib. 7. facet. rep. 21. pag. 478.*

42 *Cicer. in orat. contra Sallust.*

43 *Iuven. Sat. 8. init.*

QVALITAS III.

Sexus.

Quibus rebus animadverto id peric[illegible]
[illegible]
[illegible]

sensus, intelligentiæ officit, unde fœminæ quia humiditate superant, prudentiá superantur [2]; *sic* virum *sapientem* unum de mille reperi, mulierem ex omnibus non inveni [3]; videmus solũ eas loquentes cum apparentiá ingenij de materiis facilibus per terminos communes, & affectatos, sed literis imixtæ nil possunt discere præter aliquid. Latinitatis, & hoc quod fit opus memoriæ [4]. *Ita* consilium mulierum invalidum, fragile, infirmum [5]; *adeo* quod propter hanc fragilitatem mos inolevit apud omnes fere Italos ut ipsis mulieribus sit potestas contrahendi interdicta, sine consensu Minualdi, ut Florentiæ, vel proximorum, ut alibi; quod ex veterum Græcorum institutis prodiit, apud quos tutores, & curatores mulieribus dari solitos legimus, sine quorum arbitrio, & autoritate nihil eis agere licebat [6]; *Et* divinus ille Plato dubitare videtur utro in genere ponat mulierem, rationalium, animalium, an brutorum, cum multis placeat mulieres ferme rationis esse expertes [7]; Multæ mulieres fuerunt doctæ, quæ in multis scientiis clamerunt, & Textor in suá officiná in capite mulieres doctæ enumerat [64]. [8] *Cassanæus plures*, & non solum mulieres laudantur ex sapientiá, verum etiam ex consilio, quoniam etiam in his quæ ad curam virorum spectant fomendum est & ab uxoribus consilium, ut exemplis [9] *probatur*; *Sed* jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his quæ plerunque accidunt, non quæ inopinate; nam ad ea potius debet adaptari jus quæ, & frequenter, & facilè quám quæ perraro eveniunt, [10] *unde* quæ semel;

2 P. Franc. Mendoza in viridar. lib. 4. problem. 20.

3 Eccles. 7. vers. 29.

4 Ex Ioann. Huarte, in exam. ingen.

5 Tiraq. ad l. 1. connub. n. 70.

6 Tiraq. sup. n. 71 & 72.

7 Tiraq. sup. n. 69.

8 Cassan. in Cathal. 2. p. consid. 9.

9 Cassan. sup. consider. 10.

10 L. 3. & l. 6. ff. de leg.

semel; aut bis accidunt prætereunt Legislatores[11]; sicque propter bonas, & sapientes fœminas non debet fieri lex, sed propter malas, *& insipientes* quia multæ sunt[12].

2 *Deinde* nulla res discitur absque magistro[13], convenit studioso quærere doctorem sibi, & magistrum, cujus autoritas aperiat sibi januam sciendi necessaria, magna, & occulta[14]; faciliûsque continget si patriam propriam fuerit egressus, eligat locum ubi sint celebres doctores, & ubi sit numerosa multitudo scholarium[15]. *Quod* contra pudicitiam sexui congruentem[16]; & inter cæteras virtutes mulierum pudicitia præfertur[17], & præcipuum muliebre ornamentum honestas est, non aurum, non smaragdus, non vestimentorum nitor[18]; ornamentum enim est quod ornat; ornat autem quod honestiorem mulierem facit[19].

3 *Vlteriùs*: magis se exercet practicans, quam legens theoricas; quasi finis Doctorum sit, ut adsint qui jura exerceant, & Rempublicam regant, quasi scire in legali scientiá non sit propter scire, sed propter operari, & rem ad praxim reducere nihil aliud est quam de arbore fructum colligere[20]; *sed* fœminæ ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt, & ideo nec judices esse possunt: nec magistratum gerere, nec postulare: nec procuratrices existere[21]; *ergo scientia frustra esset in illis.*

11 *L. 6. de leg.*
12 *Glosa verbo ex his in l. 4. de legib.*
13 *Div. Bernard. in ord. vit.*
14 *Catalup. in modo stud. docum. 2.*
15 *Catalup. sup. docum. 10.*
16 *L. 1. §. sexum de post. ul.*
17 *Cassan. in cathal. 2. p. consid. 11.*
18 *Benedict. Egid. de privil. honest. in initio n. 12. in fin.*
19 *Crates apud Tiraq. in 3 l. connub. n. 90.*
20 *Gratian. discept. for tom. 1. cap. 186. n. 11.*
21 *L. 2. de reg. jur.*

C QVA-

QVALITAS IV.

Complexio.

VT in mundo quatuor elementa, in anno tempora ſunt quatuor; ita quatuor in vitâ humanâ complexiones; Sanguinea, calida, & humida, aeri, verique perſimilis; Colerica, ſicca, & calida, igni, & æſtati par; Melancholica, frigida, & ſicca, terræ, & autumno conformis; Phlegmatica, humida, & frigida, aquæ, hiemique reſpondens. Ex his extremam eſſe prorſus ad ſcientiam ineptam ferè omnes conſentiunt; vertitur igitur in reliquis tribus rei totius cardo. Sed & illud monitum volo, non quid per accidens poſſit in propoſito, complexio, ſed quid per ſe ipſam, atque ut ſimplex eſt valeat unaquæque, hoc loco diſputari. 1

1 *P. Mendoza in viridario lib. 4. problem. 21. 4 princip.*

Si complexiones impermixtæ, ac ſimplices ſpectentur, primas in hoc officio ſanguineæ do; quod expreſſit Hippocrates, lib. de flatibus Ariſtot. 2. de partib. animalium cap. 2. Galen. 8 de uſu part. cap. 13; ubi bonam temperiem ad ſapientiam commendat; Albert. Magn. in 1. Metaphyſic. tract. 1. cap. 5. & alii. Ratio verò eſt, quia ingenium, & animi mores corporis ſequuntur temperaturam, & quo quiſque eſt temperatior, eò operationes naturæ ſuæ convenientes habet perfectiores, ut communiter tradunt medici. Atqui 2

ſanguineus

sanguineus habens moderatam sanguinis quantitatem temperatior est, quam ij in quibus aliæ complexiones dominantur; ergo, cæteris paribus, eos ingenio, & innatâ ad sapientiam promptitudine superat; Et hoc voluisse Philosophum, cum dixit, molles carne aptos esse mente, nemo ferè est qui dubitet 2. *cf. inf. q. 5. n. 10.*

2 *Mendosa supra versiculo cæterum.*

3 Sed si de permixtis complexionibus loquamur, non dubitem Melancholiam modicæ permixtam bili, & ex consequenti temperamentum siccum cum moderantiâ calidi; & sicci, plus conferre ad sapientiam, quam quævis alia complexio; ut ait Thomas à Vega de art. med. cap. 11. p. 53. Est pro hac parte ratio efficax, quia ut vinum moderatè haustum mentem acuit, sicut sect. 30. problem. 1. vult Aristot. ita melancholicus succus ratione siccitatis; quæ duplici nomine facit ad sapientiam, tum quia tollit excrementa spirituum vitalium, discursum, & claritatem impedientia; tum quia ad quietem confert, anima autem quiescendo fit sapiens: Item quia bilioſi sunt naturâ agiles, fervidi; & spiritibus abundantes; quæ conditiones faciunt ad scientiam; quia cum spiritus vitales sint naturâ suâ subtiles, subtilitatem quoque ingenii conciliant; astipulatur Galen. in lib. art. medic. ubi ait, mentis celeritatem calidi, siccique esse temperamenti; quia hoc subtilem cerebri substantiam indicat, sed siccitas dominatur in colericâ complexione, quia in illâ abundat calor, quem sicc tas, quasi lima quædam, acuit, in illoque suam sedem collocat; *ergo* bilioſi, acres, & alacres,

ingenioſique evadunt 3. *Et conſequenter complexio ex utráque compoſita conferet ad ſcientiam*; cùm velocitas, diſcurſus, & grave de inventis judicium potiſſima ſint ad comparandam ſcientiam inſtrumenta, eaque præſtet melancholia modicæ permixta bili ut 2°. de nat. hum. coment. 40. Galen. docet 4.

3 Mendoc. ſup. verſic. altera & verſic. laudant, & verſ. cæterum.

4 Mendoc. ſup. verſ. altera ad fin.

Harum complexionum ſunt ſigna: virtus et boni mores, nam malum, et vitium, inquit Plato, oritur ex qualitate intemperatâ, quæ irritat ad peccandum; ſanitas et bona valetudo; quia bonum temperamentum morbis reſiſtit 5; *& forma corporis, de quâ in qualitate ſequenti.* 4

Simplicitatem legibus amicam amplectendo 6, *alia omitto.* 5

5 Ex Ioan. Huarte de Sancto Ioanne in examine ingenior.

6 §. Cæterum Inſt. de leg. agn. ſucceſſ.

QVALITAS V.

Forma.

EXteriora indicant ſecreta animi 1, *ideo Doctores requiro* in quibus nulla ſit macula, decoros formâ 2. 1

Primò quòd in corpore pulchro reſidet anima virtuoſa, quia quo quiſque pulchrior eſt, eò magis virtus in illo reſulgeat neceſſe eſt 3. *At* timor Domini principium ſapientiæ 4; os juſti parturiet ſapientiam, labia juſti conſiderant placita 5.

Secundò, vitium corporis, uſque ad animum 2 penetrat;

1 Gloſa in l. is qui 12 §. Divus Pius verbo, ex ſermonibus ff. de tut. & cur. dat. ab his.

2 Dun. cap. 1.

3 Ceſſan. in cat. glor. mund. p. 11. conſid. 30

4 Proverb. 4.

5 Proverb. 10.

penetrat [6]; *unde* incompositio corporis inæqualitatem indicat mentis [7]; vultus talis erit qualia mente gerit [8]. Vultus sermo quidam tacitus mentis est [9]; imago animi [10]; indicat mores [11].

4 *Tertiò*,

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus [12].

Formosa species muta commendatio [13]: *& ad suadendam doctrinam.*

Vultus adest verbis, faciesque incensa perorat [14].

5 *Quartò*: finis doctorum est, ut adsint qui jura exerceant; & rempublicam regant [15]; *at* in Magistratu non modò judicium, prudentia, virtus, & regendi ac judicandi peritia requiritur, sed præter hæc omnia decoris cujusdam, & splendoris publici habenda est ratio [16], quoniam plerisque gentibus in corporum majestate, & dignitate veneratio est, & reverentia; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos specie eximiâ, & egregiâ donare natura dignata est [17].

6 *Quintò*, Doctores vocantur amici Principis, imo & patres Principis, et non fratres [18]; *oportet igitur eos esse* in quibus nulla sit macula, decoros formâ, ut possint stare in palatio Regis [19].

7 *Sic* Justinianus ex pulchritudine Papinianum commendavit, pulcherrimum illum vocans in procemio forum §. tertii vers. nobis autem; quam quidem appellationem etsi Ang. ibi revocat, & quidem frigidiùs ut opinor, ad decorem scientiæ, sicuti etiam facit Cyn. in l. providendum 6. de postul. non temerè tamen referemus, post. Alb. in eodem procemio, ad corporis pulchritudinem,

6 *L. ob quæ 4. ff. de ædil. edicto.*

7 *Div. August. relatus in cap. fin. 41. dist.*

8 *Specul. 1. p. tit. de advoc. §. hic dicendum n. 3.*

9 *Cicer. in Pison.*

10 *Cic. 3. de orat.*

11 *Cic. 1. de legib.*

12 *Virgil. lib. Ænead.*

13 *Tiraq. ad 2. l. con. 2. p. gl. 1. n. 61.*

14 *Lucan. lib.*

15 *Gratian. discept. tom. 1. cap. 186. n. 11.*

16 *Tiber. dec. tract. crim. lib. 3. cap. 11. n. 11.*

17 *Cassan. in cathal. S. P. consid. 18.*

18 *Cassan. sup. p. 10. consid. 24.*

19 *Daniel cap. 1.*

quæ & ipsa multum ponderis habet ad felicitatem comparandam [20]. Etiam Democritus Milesius vel Abderites Diagoram Milesium servum emit, quòd ex physiognomiâ intelligebat eum optimo ingenio præditum esse, ut ait Suidas [21].

Aliquando
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam [22];
Lis est cum formâ magna pudicitiæ [23].
Formosis levitas semper amica fuit [24].

8

Et è contrà signa à virtutibus superantur; cor imperat corpori; unde sæpe cernuntur opera exterioribus contraria [25] *sicque* Plato, Socrates, Aristoteles, Xenocrates, Heraclitus, Democritus, Hopus, Horatius, Dante, Alciatus, & Lesbiæ regina Sapho, deformitates varias habuere, cum tamen variis in in scientiis fuerint doctissimi [26]. *Sed quia* homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor [27], *recurrimus* ad physiognomiam, quæ est scientia ingeniosa, & artificiola naturæ, per quam noscitur bona, vel mala complexio, virtus vel vitium hominis, quatenus animal est [28]; & cum sit fundata principiis naturalibus ostendens inclinationes humanas est multum vera, & utilis [29]: *& quamvis* natura non obliget, imo liberum arbitrium reddat hominem dominum suarum actionum; quia tamen pauciés pravæ inclinationi volumus resistere [30], regulam constitui oportet in his quæ plerunque accidunt non quæ extra naturalem cursum eveniunt [31]; *Et magis quod physiognomia ad demonstrandum*

20 *Thraq. sup. n. 74.*

21 *Mascard. de probat. conclus. 831. n. 31.*

22 *Ovid. lib. 1. Fastor.*

23 *Ovid.*

24 *Properti. lib. 2.*

25 *Ex Bobadilla polit. lib. 1. cap. 8. n. 14.*

26 *Ex Bobadil. sup. a. n. 14.*

27 *1 Reg. cap. 16.*

28 *Ex Hieron. Cortes in secret. nat. tract. 1. in princ.*

29 *Ex Ioan. Bapt. Porta de Physonom. apud Francisc. Stelluti cap. 1. in fine.*

30 *Ex Cortes sup. in prologo & cap. 30.*

31 *L. jura 3. cum glosa ff. de legib.* [illegible]

strandum ingenii accumen vix fallit, nam liberum arbitrium cum mores possit corrigere, subtilitatem ingenii augere nequit.

9 *Sed quæ pulchra forma? Resp.* Sine specificatione partium; pulchritudinem esse unionem membrorum æqualium, quæ totum corpus conformiter componit [32]; *seu*, pulchrum est quod amicum est, non pulchrum, non amicum est; constat pulchrum esse amabile suapte naturâ, primoque aspectu animos ad se movet; quod confirmatur, *nam* pulchrum ex Græco sive dicitur à provocandis animis, sive à permulcendo intuentes [33]. Sed & in universum Platonici omnes definiunt, pulchritudinem esse gratiam quandam vivacem, & spiritualem Dei radio, illustrante Angelo, primùm infusam, inde & animis hominum, corporumque figuris, & vocibus quæ per rationem, visum, auditum amicos nostros movet, atque delectat, delectando rapit, rapiendo ardenti inflammat honore [34].

10 *Signa tamen ingenii specilia sunt* statura corporis non admodum procera, sed in parvitatem declinans; molles carnes [35], *sed* conducit hominibus ad sapientiam, ut minimè carnosi sint [36]; color albus [37], *vel* inter album, & purpureum [38]. Crinis subruffus [39], inter flavum, & nigrum; in pueritiâ flavus, in juventute declinans ad nigrum, in senectute non cadit; inter mollem, & durum [40]; non crispus, sed planus [41]. Caput mediocre; vel aliquantulum grande [42], & rotundum [43]; & sanè experientiâ cognovi, in hominibus parvæ staturæ melius esse si caput declinet in magnitudinem; in

ijs

32 *Ex Lop. de Vega in arcad. lib. 3. in cancione quæ incipit, redustr labermosura.*

33 *Proclus apud Tiraq. 2. l. conu. n. 45.*

34 *Tiraq. ad. l. 2. con. d. n 45. in fin.*

35 *Pat. Mendoça in viridar. lib. 4. problem. 21. vers. laudant ergo, & vers. ult. in fin.*

36 *Hipochrat. relatus a Ioan. Huarte in exam. ingen. cap. 6. vers. por donde.*

37 *Hieron. de Campos in silva. var. quæst. centur. 1. quæst. 10.*

38 *Ex Ioan. Bapt. Porta, lib. 1. de fisonomia.*

39 *Galen. lib. art. med cap. 13.*

40 *Ex Porta sup. lib. 1. & lib. 2.*

ijs autem qui maioris sunt staturæ, si declinet in parvitatem, sic enim moderata quantitas invenitur, quà rationalis anima bene operatur [44]. Frons lata, elevata, vel rotunda, & in extremo temporum sine pilis. Supercilia flava, parùm pilosa; & in arcum. Oculi mediocres, quasi nigri, & lucidi. Aures parvæ, tenues, & sculpitæ. Nasus elevatus, & in fine planus. Labia subtilia; os mediocre. Dentes inæquales, licet non bene compositi. Lingua subtilis. Vox firma, clara, & expedita. Risus, & planctus rarus. Mentum acutum, & aliquantum carnosum. Facies mediocris, gracilis, & aliquantulum colorata. Collum crassum, & breve. Scapulæ delicatæ, & non elevatæ, imo in intus curvæ. Dorsum gracile. Venter mediocris. Pectus angustum. Brachia delicata, subtilia, & mollia; manus graciles; digiti in sursum inflexi: Crura subtilia, & parum pilosa; pedes bene formati [45].

Tarditatem indicant signa contraria prædictis, cum contrariorum sit eadem disciplina [46]; & quod operatur propositum in proposito, operatur oppositum in oppositio [47]. 11

Sed cum sit pene impossibile relata signa simul invenire, judicium debet fieri de maioribus, & fortioribus signis, qualia sunt quæ in locis principalioribus videmus; sunt autem loci principaliores caput, (quia cerebrum continet principium motuum, & sensuum) & loci qui capiti sunt magis vicini; videlicet, oculi qui secundum Galen. sunt pars cerebri; nasus, facies, ubi est totus homo, quia ibi 12

est

41 *Ex Hyer de Campos supra.*

42 *Ex Porta d. lib. 1. & 2.*

43 *Ex Hieron. Cortes in Secret. nat. tract. de fisonom. cap. 15.*

44 *Ex Huarte de S. Ioan. in exam. ingen. cap. 6. vers. Aristoteles.*

45 *Ex Porta. & Cortes supra. Et Gaspar. Cardoso in secret. natur. 2. p. secreto 52.*

46 *Aretin. in princip. inst. de his qui sunt sui, vel al. jur.*

47 *Bart. in l. fin. §. fin ff. de legat. 3.*

ibi Regia rationis; collum, pectus, quod est sedes cordis, subjectum omnium sensuum; post istos crura, & pedes; qui sunt instrumenta motus, & sensus; postremò venter; argumentando à pluribus signis quæ inter se conveniunt [48].

48 Ex Porta de phisionom. lib. 1.

QVALITAS VI.

Ætas.

1 ARs longa, vita brevis[1], *ideo*, tum propter vitæ brevitatem, rerumque multitudinem, tum propter naturæ statum, aptior nobis videtur ad discendum pueritia, quam nulla alia humanæ vitæ ætas; *quia*, ob innatam humiditatem, rebus percipiendis aptissima[2].

1 Hipocrat. lib. 1. aphor. 1.

2 P. Franc. Mendoça in viridar. lib. 4. problem. 20.

2 *Doctor autem debet esse in adolescentiâ*; hanc partem sequitur apertè Galen. oratione, quâ ad artes perdiscendas excitat, ubi docet, eo maximè tempore incumbendum esse scientiis, quo formosissima nostra (ut ille loquitur) cernuntur corpora, id est adultâ & confirmatâ jam ætate, cum virtus corporis viget; probatur verò hæc opinio, quia studium tunc maximè opportunum est cum natura ad operandum existit fortior, ad perscrutandum promptior, ad intelligendum paratior, sed hoc in adultâ ætate potissimùm contingit, in qua potentiæ ad exequenda sua munia magis sunt disposi-

tæ; hæc igitur ætas est accommodatior[3], & quanto juniores, tanto perspicaciores[4]. *Alia est ratio quod* juvenes gloriâ cupidi utuntur nimiâ diligentiâ[5]; *proinde* sapientia non numeratur annis[6].

Sic quidam filius Accurtij voluit fieri doctor in 17. anno[7], qua ætate, aut paulò maiore fertur Nerva filius & publicè de jure responsitasse[8]. Celsus adolescens scipsit[9]; Papinianus cujus ingenium tantum extollitur ab Imperatore in l. cum acutissimi l. de fidei commiss. & alibi sæpe, tamen mortuus est juvenis, scilicet ætatis annorum 37. Bald. in 17. anno repetiit l. centum Capuæ. Paul. de Castr. in l. ante sententiæ C. quo. appe. non recip. dicit, quod miratur quod Speculator in juventute suâ composuerit illud opus quod est quid miraculosum, & est pater practicæ Romanæ: & Bart. in 25. anno composuit illam subtilissimam repetitionem, l. si is qui pro emptore ff. de usu cap. Daniel adhuc puer senes judicavit; Salomon juvenis fecit judicium de quo in cap. afferte de præsumpt.[10] Avicena 18. ætatis anno erat perfectissimus in omnibus scientijs[11]; alia plura exempla dici possent, ut refert Cacialup. in l. si qua illustris C. ad Orfic. col. 17. dum loquitur detractat legitimationum[12]. 3

Senectus propter potentiarum debilitatem ad perdiscendum inepta[13] *quia* senectuti inest oblivio profunda[14]. *Item ad discurrendum*; *quia* in senibus non vigent vires ingenii prout in juvenibus; secundùm Catonem, & acumen ingenii multum operatur[15]. Item, inepta ad judicandum; *quia* 4

antiqui

3 Mendoça supr.

4 Glosa verbo si filium in fin. in l. Gallus de lib. & posth.

5 Nevisan. lib. 5. silv. nupt. n. 12.

6 Nevisan. sup. n. 11.

7 Joan. Fab. in §. fin. in fin. Inst. qui & quib. ex cauf. man. nonpos.

8 L. 1. §. initium ff. de postul.

9 L. si servum 91. §. sequitur ff. de verbor.

10 Nevisan. sup. ex n. 13. usque ad 17.

11 Ex Ioan. Sorapan. in medicin. Hisp. refr. 11. pag. mihi 102. in fin.

12 Nevisan. sup. n. 16.

13 Mendoça supra.

antiqui ſunt deſides, & pigri; & etiam quandoque confidentes in ſcientiâ, & experientiâ ſuâ non curant quærere allegationes[16]; ſic Bald. in lecturâ ſuâ decretalium dicit miranda & ſingularia, q' n' probat, nec legibus, nec rationibus, & plerunque malè allegat, quia plurimùm confidebat de ſcientiâ ſuâ, quia erat antiquus[17]. Sola reipublicæ gubernacula, (*quæ ſtudio non indigent*) ſenioribus debentur; qui obtinent experimentum longo tempore acquiſitum[18]; *in hoc*, ætate maturi meliùs ſapere judicantur, quia ſenes centibus membris, & corporalibus ſenſibus emolitis, proximâ parte in conſilium tranſeunt, ubi dum mens ampliùs occupatur, robuſtior virtute adunationis efficitur[19]; *ſic procedit illud:* in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia[20]; *& ſimilia*; *dummodo non ſint decrepiti*; *quia* quotidie videmus, & experimur, quod in ſenibus diminuitur ſenſus; & quod nihil differunt ſenes à pueris, niſi quod rugoſiores, & plures enumerant annales quàm pueri[21].

5 *Sed* omnis ætatis homines ſcholla admittit[22], quia nulla ætas ſera ad diſcendum, ſiquidem, ut præclarè cecinit Horat.[23].

Nemo adeo ferus eſt qui non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem[24].

De quo in 22. *qualitate n.* 2.

16 *Div. Chryſoſt. in Epiſt. Pauli ad Tit. homil.* 4.

15 *Neviſan. ſup. n.* 17.

16 *Neviſan. n.* 12.

17 *Neviſan. n.* 25. *ad fin.*

18 *Averr. in lib. Plat. de rep. tract.* 1.

19 *Caſſiod. lib. de anima.*

20 *Iob. cap.* 12. & 32.

21 *Neviſan ſup. n.* 17. & 19.

22 *Neviſan. n.* 56.

23 *Mendoça ſupr.*

24 *Horat. lib.* 1. *Epiſt.* 1.

QVALITAS VII.

Divitiæ.

SCholaſtici facti de divitibus pauperes ſemetipſos exinaniunt [1]; *quare tamen quis doctor perfectus, dives aut pauper?* 1

Contra pauperem ſtat, quod vita pauperis eſt in cogitatione victus [2]; *unde* 2

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere, & pati,
Virtutiſque viam deſerit arduæ [3].

Nec deſunt qui obtentu paupertatis turpiſſimam vitam elegit [4]. *Quare* reſcripto divorum fratrum ad Rutilium Luppum ita declaratur; ſi ita quidam tenues, & exhauſti ſunt, ut non modò publicis honoribus pares non ſint, ſed & vix de ſuo victum ſuſtinere poſſint; & minus utile, & nequaquam honeſtum eſt talibus mandari magiſtratum [5].

Adverſus divitem arguitur; quod divitiæ negligentiam pariunt [6]; divitiæ amplæ rarò virtutis ſunt comites [7]; cor ſapientum ubi triſtitia eſt; cor ſtultorum ubi lætitia [8]; vexatio dat intellectum [9]; *unde* Cardin. Mediola. in proœm. clem. dicit, paupertatem eſſe unam ex clavibus per quas intramus januam ſapientiæ [10]; quapropter Cratès ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, cum ad philo- 3

1 *Auth. habita C. ne filius pro patre.*
2 *Eccleſiaſt. cap. 4.*
3 *Horat. lib. 3. Ode 24.*
4 *L. palam 43. §. non eſt. ff. de vit. nupt.*
5 *L. reſcripto 6. ff. de muner. & honor.*
6 *Gloſa ſuper Div. Paul. Theſſ. 5. ſuper illo rogamus autem vos.*
7 *Gaſola de nobil. gloſ. 48. §. 3. n. 2. in princ.*
8 *Eccleſiaſt. 7. verſ. 5.*
9 *Iſaiæ 8.*
10 *Cacialup. de modo ſtud. docum. 4. ad fin.*

philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, neque putavit ſe ſimul poſſe, & virtutes, & divitias poſſidere [11], etenim verè philoſophantes pecunias contemnunt [12]; *ſic* Sabino nec amplæ facultates fuerunt, ſed plurimum à ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt [13].

4 *Die* quod extrema ſunt vitioſa [14]; *nam* ſicut divitiæ negligentiam pariunt, ita egeſtas, dum ſaturari quæritur [15]; *quare* inter utrunque vola [16]; *habeat doctor* divitias cum temperamento, dummodò neceſſaria adſint; ut inquit Philoſophus decimo Ethicorum [17].

5 *Sed quid ex duobus extremis? divitem eligo; tum quia ultra notata n. 2. divitiæ ſerenant animum*, anima autem quieſcendo fit ſapiens [18]; *tum quia* hodie nemo niſi dives honore dignus reputatur [19].

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias, pauper ubique jacet [20].
Quantum quiſque ſuâ nummorum ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei [21].
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui conſtruxerit ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam & Rex
Et quidquid volet [22].

Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt & verbum illius uſque ad nubes perducent; Pauper locutus eſt, & dicunt quis eſt hic? etſi offenderit ſubvertent illum [23]. *Fateor hoc procedere, à mundi vanitate; tamen*, quia finis doctorum eſt ut adſint qui jura exerceant;

11 *Cap. gloria verſic. Crates. 12. q. 2.*

12 *L. in honoribus 8. §. pen. ff. de vacat. & muner.*

13 *L. 2. §. ergo Sabino ff. de orig. jur.*

15 *Gloſa ſuper Paul. ſupra.*

16 *Ovid. Met. lib. 8. fab. 3.*

17 *Cacialup. ſupr.*

18 *P. Mendoça in viridar. lib. 4. problem. 21. verſ. altera ad fin.*

19 *Div. Ambroſ. lib. 2. offic.*

20 *Ovid. 1. Faſt.*

21 *Juvenal.*

22 *Horat. lib. 2. Serm. Satyra 3.*

23 *Eccleſiaſt. cap. 13. verſ. 28. & 29.*

exerceant, & Rempublicam regant[24], & in magistratu non modò judicium, prudentia, virtus, & regendi, ac judicandi peritia requiritur, sed præter hæc omnia decoris cujusdam, et splendoris publici habenda est ratio[25]; *ideo divitem antepono*; *nam* opes pariunt potentiam, potentia autem dignitatem et justam prælationem[26], *unde* datâ paritate temporis et gradus inter doctores habetur consideratio divitiarum; quia duo vincula magis stringunt[27].

Scias tandem quod sicut divitiæ sunt impedimenta improbis, ita probis sunt adjumenta virtutis[28]. 6

24 *Gratian. discept. tom. 1. cap. 186. n. 11.*

25 *Tiber. Decian. tract. crimin. lib. 3. cap. 11. n. 11.*

26 *Menchaca controv. illustr. in præfat. n. 77.*

27 *Cassan. in cathal. p. 10. consider. 35.*

28 *Div. Ambros. relatus a Bobadilla Polit. lib. 1. cap. 11. n. 24. in margine. g.*

QVALITAS VIII.

Virtus.

OMnia in se habet, omnia adsunt bona, quem penes est virtus[1]; *nam certum est*, Deum proniorem esse in eos qui maximè illum colunt[2]. *Vnde* quo maior est vis eloquentiæ eò est magis probitate jungenda; probitatis expertibus si dicendi copiam ttadiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus. Vetus illa doctrina eadem videtur et rectè faciendi, et benedicendi: magistra, neque disjuncti doctores sed iidem erant vivendi præceptores, atque dicendi[3]; anima justi aliquando magis 1

videt,

1 *Plaut. Amph.*

2 *Arist. Rhet. ad Alex.*

3 *Tull. 3. de Orator.*

videt, quam septem speculatores[4]; in malevolam *autem* animam non introibit sapientia[5].

2 *Oportet igitur* priûs animas, et postea linguas fieri eruditas[6]; *& doctor* non confidat in ingenii perspicaciâ, et capacitate; studii assiduitate, et memoriæ tenacitate, sed in eo spem ponat, qui scientiarum Dominus est, in quo stant omnes thesauri sapientiæ absconditi; nam scriptũ est qui confidunt in Domino intelligent veritatem; superbis autem Deus resistit. Imprimisq; bene, et diligenter preparet animam suam, confitendo peccata sua integrè; & satisfaciendo pro commissis, ut sic Spiritus Sancti gratia omnẽ habens virtutẽ, et omnem scientiam inveniat receptaculũ mundum, et tribuat plenam, perfectamque scientiam; *nam* qui ad quamvis scientiam approbatam tanseunt, et die noctuque torquentur, in uanum laborant, nisi Dei gratiam habeant secum coadjutricem[7].

4 *In Act. cap. 5.*

5 *Sap. c. 1. v. 4.*

6 *§. Illud in proœm. ff.*

7 *Cæcialup. de modo stud. docum. 1. a princ.*

QVALITAS IX.

Mores.

1 MAgistros studiorum, Doctoresque excellere oportet moribus primùm, deinde facundia[11], *quia* bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum[2]; *&* verisimile, est malum virum malè jura administrare[3].

1 *L. Magistros 7 C. de professor. lib. 10.*

2 *Luc. cap. 6.*

3 *Theoton in Sent. elegiac.*

Nemo

Nemo audeat ex iis qui legitima peragunt ſtu- 2
dia indignos, & peſſimos (imo ſerviles, & quorum effectus injuria eſt) ludos exercere [4]; non ita à naturâ generati ſumus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque maiora [5]; *& ob multa*, ludus eſt maximè prohibitus ſcholaribus, & doctoribus [6]. *Et* etiam prohibetur inſpectio [7], *&* animi vitium eſt ſi ludos aſſiduè ſpectare velint [8]; *Tamen* ad relaxationem animi, & quietem corporis, quod continuè laborare non poteſt, licitum eſt uti ludo honeſto nemini nocivo, congruo tempori, & perſonæ, accedentibus aliis debitis circunſtantiis; ſcilicet temperatè adeo, ut non tollatur totaliter animæ gravitas, vel reſolvatur; & ſic utens ludo dici poteſt urbanus, jucundus, feſtivus. Hinc ego conſuevi allegare quod qui mediocritatem in jocando ſervat, hic comes, ſive urbanus eſt; qui omnino deficit, aut abhorret, hic ſubruſticus eſt; qui modum excedit, hic ſcurra. Eſt ratio hujus concluſionis, quia ludus fit propter delectationem, delectatio propter quietem, quies propter operationem; Proinde delectatio repellit triſtitiam, & contra animæ fatigationem oportet remedium adhibere, hoc eſt aliqualem delectationem; hinc Seneca de tranquillitate animi ſcribit, Socrates cum parvulis ludere non erubeſcebat, & Cato etiam laxabat animum curis publicis fatigatum [9]. Scævola juris conſultus, ut ait Valerius in rubricâ de ocio, optimè pilâ luſit, qui in hoc ludo animum ſuum occupatum forenſibus miniſteriis,

4 §. *Illud vero proœm. ff.*

5 *Circer. l. offic.*

6 *Par. de Puteo, de ludo n. 11. verſic. ludus.*

7 *Ex Put. ſup. n. 20. verſic. an matuum. Et ex Cacialu. de ludo n. 32. verſic. ſeptima quæſtio.*

8 *L. animi 65. ff. de ædil. edict.*

De hac ratione vide infra 20. Qualit.

9 *Stephan. Coſta tract. de ludo §. 1. n. 3. & 4.*

riis ſolebat transferre; qui etiam luſit aleâ, causâ recreationis; etiam Socrates, cui nulla pars ſapientiæ obſcœna fuit, luſit cum pueris interpoſitâ arundine cruribus ſuis [10]; & quando ludus eſt permiſſus, inſpectio etiam non eſt prohibita [11].

Quæſtio eſt qui ſint ludi liciti, & permiſſi, & qui prohibiti ſolent dici [12]? *dic* quod triplex eſt ludorũ materies: ſcilicet ſolius fortunæ, & iſte eſt prohibitus, quia eſt ſtultum ſubmittere ſe viribus; fortunæ eſt ludus qui conſiſtit in peritiâ, & induſtriâ, ſeu in virtute, vel in robore corporis, & iſte eſt permiſſus; mixtus autem ludus, tabularum, & ſimilium eſt prohibitus, niſi pro convivio [13]; quando fieret gratiâ recreationis, licet ergo ſcholaribus, aut aliis aliquando ludere ad ludos, qui nituntur partim fortunâ, & partim ingenio [14]. *Non vero probo quod Cacialupus dicit quod* licet unum hœdum, vel par caponum gratiâ recreationis futuræ in convivio ludere ad taxillos [15], quia doctores ludentes ad dados ſunt, infames, & dicunt quidam, hunc ludum eſſe contra bonos mores, propter quod videtur quod ſit turpis [16]. *Etiam* ad ludos ſui naturâ permiſſos non licet ludere avaritiæ causâ; quæ malorum omnium eſt radix [17], *ſed* ad relaxationem animi, & quietem corporis [18]. *Addo* de ludo ſcachorum (*quamvis* in ingenio totaliter conſiſtente [19]) quod eſt peſtilens ſcholaribus quia inebriantur in ludo, & tempus perdunt, quo nihil carius [20]; *ſicut dicitur* non eſſe permiſſum clericis, quippè multum diſtrahuntur à cultu divinorum, & propter multum tempus quod conſumitur in eo [21].

10 *Par. de Puteo ſupra. n. 8.*

11 *Eſtephan. Coſt. ſupra art. 2. n. 27.*

12 *Cacialup. ſupr. n. 4. verſic. quarta queſtio in princ.*

13 *Put. ſup. n. 11.*

14 *Cacialup. ſupr. verſic. reſtat. n. 26.*

15 *Cacialup. ubi prox.*

16 *Put. ſup. verſic. ludus eſt maxime n. 12. & verſic. ludus honoris, n. 9.*

17 *Put. ſup. n. 13*

18 *Eſtephan. Coſt. ſup. §. 1. n. 3.*

19 *Eſtephan. Coſt. ſupr. art. 2. n. 23.*

20 *Put. ſup. ante n. 12.*

21 *Cacialup. ſup. n. 27.*

Specialiter caveat ſtudens a Venere (quo vitio conſueverunt facilè ſtudioſi inquinari;) cum per tale vitium ratio, & intellectus tanquam ſuperiores partes mentis confundantur, ſenſualitate (quæ eſt inferior pars) attrahente & prædominante [22]; unde, ut veneno occiditur corpus, ſic animus malarum mulierum converſatione [23], & fieri nullo modo poteſt, ut animus libidini deditus literis operam dare poſſit [24], quia duo alia non ſunt in rebus ita oppoſita, quam ſint voluptas, & ſcientia [25]. *Sic* mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos [26]. 3

Sit pudentiſſimus nam qui pudore non afficitur eorum quæ ſunt pudenda, intellectum non habet [27]. 4

Ne ſit ſuperbus, quia ubi fuerit ſuperbia, ibi erit, & contumelia, ubi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia [28]. 5

Non armigerus, doctorum enim arma ſunt codices, & leges [29]. 6

Nec vagabundus, quia varicoſus ſanus non eſt, & modò huc, modò illuc ut ſtultus vadit [30]. 7

In inceſſu autem debet eſſe ornatus, ut gravitate itineris mentis maturitatem oſtendat; incompoſitio enim corporis (ut Auguſtinus ait) inæqualitatem indicat mentis; unde hiſtoriographus ille cum ejus mutabilitatem deſcriberet, cujus conſcientia excita curis mentem vaſtabat, inter cætera hoc etiam notabile judicavit, dicens; citus modò, & modò tardus inceſſus [31]. 8

Non velis rerum quicquam laudare tuarum [32]; *quia* laus in ore proprio vileſcit [33], laudet te alienus, 9

22 *Cacialup. de modo ſtud. docum. 1.*

23 *Gloſ. verbo, venenu in l. 1. c. de natur. liber.*

24 *Tul. in orat. pro Marco Cel.*

25 *Philon. Hebr. in princ. oper.*

26 *Eccleſiaſtici 19. verſ. 2.*

27 *Huarte in exa. in gen. ex Ariſ. totale de anim. cap. 4. topi.*

28 *Prov. 11. v. 2.*

29 *Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 4. caſu 394. n. 79.*

30 *L. varicoſus So, & ibi gloſa ff, de edil. edictu.*

31 *Cap. ſin. 41. diſt.*

32 *Cato apud Roſfed. in 2. quæſt. Sabbatina. n. 3.*

33 *Seneca.*

nus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua[34].

10 Noli verboſus eſſe[35], *nam* in multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt[36]; qui moderatur ſermones ſuos doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus vir eruditus; ſtultus quoque ſi tacuerit ſapiens reputabitur, & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens[37].

Cum tacet haud quicquam differt ſapientibus amens;

Stultitiæ eſt index linguaque, voxque ſuæ[38].

Sic olim Solon Philoſophus ille ſapientiſſimus, cum in frequenti quodam hominum conventu multis multa loquentibus, ipſe verò nihil diceret, interrogatus à Periandro, utrum ob verborum inopiam, an quia ſtultus eſſet taceret? reſpondit neminem ſtultum tacere poſſe: ſic etiam divinus ille Plato interrogatus per quid cognoſcerentur homines? reſpondit, homines, & vaſa figula ſimili modo probari, hæc quidem ex ſono; illos vero ex ſermone facilè cognoſci. Quinimo rectè etiam Zeno Stoicorum Philoſophorum Princeps, cuidam inepta, & nihil ad rem loquenti; ſic dixit: idcirco aures habemus duas, & os unum, uti plura audiamus; loquamur pauca, affirmat Diogenes Laertius de vitâ Philoſophorum[39]. *Tandem*, verbis utendum, ſicut veſtibus; quarum unas recondimus, alias oſtentamus[40].

11 Præter hæc ſtudioſus ſummâ curâ caveat ne iracundiâ, vel ſtomachatione incaleſcat; nam, ut inquit Cato, impedit ira animum ne poſſit cernere verum; id etiam Fabius monet quòd nullus ra-

34 *Proverb. cap. 27. verſ. 2.*

35 *Eccleſ. 7. v. 15.*

36 *Proverb. 10. verſ. 19.*

37 *Proverb. cap. 17. verſ. 27. & 28.*

38 *Alciat. lib. 1. emblem. 3.*

39 *Sebaſtian. Stocamber in com. ad d. emblem. 3. Alciat.*

40 *Ex Franc. Gurmend. in doctrin. princip. lib. 1. c. 6. fol. mihi 21.*

tioni magis obſtet affectus; quodque extra cauſam ferat, & Cicerone teſte, nihil cum irâ rectè fieri, nihil conſideratè poteſt[41]; *ergo* ne ſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit[42]; fatuus ſtatim indicat iram ſuam, qui autem diſſimulat injuriam callidus eſt[43]: nec judex iratus poteſt dici juſtus[44].

41 *Everard. in præambulâ argum. verſic. nono.*

42 *Eccleſiaſtes, c. 7. v. 10.*

43 *Proverb. 12, verſ. 16.*

44 *Ex Iulio Strozzi in tragediâ ſ. Eroiſſa actu 3. Scena 2. poſt med. Poliandrus.*

Vtque totum dicamus, ſtudioſis ſapientiæ ita vivendum eſt, ut à venereis rebus, ab illecebris, ventris & gutturis, ab immodeſto corporis cultu & ornatu; ab innanibus negotiis ludorum, à torpore ſomni, atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidentiâ, ab honorum, poteſtatumque ambitionibus, ab ipſius etiam laudis immodicâ cupiditate ſe abſtineant; amorem autem pecuniæ totius ſuæ ſpei certiſſimum venenum eſſe credant: nihil enerviter faciant; nihil audacter; inimicitias vitent cautiſſimè; ferant æquiſſimè, finiant citiſſimè, in omni verò contractu, converſationeque cum hominibus ſatis eſt ſervare hoc unum vulgare proverbium, nemini faciant quod pati nolint. Rempublicam nolint adminiſtrare niſi perfecti; perfici autem vel intra Senatoriam ætatem feſtinent, vel certè intra juventutem. Sed quiſquis ſerò ad iſta ſe convertit non arbitretur nihil ſibi eſſe præceptum, nam iſta utique faciliùs adultâ ætate ſervabit. In omni autem vitâ, loco, tempore; amicos aut habeant, aut habere inſtent, obſequantur dignis etiam non hoc expectantibus; ſuperbos minus curent; minimè ſint; Aptè, congruenterque vivant. Deum colant, cogitent, quærant ſpe, fide,

12

fide, charitate ſubnixi; optent tranquillitatem, atque certum curſum ſtudiis ſuis, omniumque ſociorum; & ſibi quiſque poſcat mentem bonam paratamque vitam [44].

44 *Div. Aug. ſ. de ordine contra Academicos, cap. 8.*

QVALITAS X.

Alimenta.

1 CVm animi mores corporis inſuetudinem inſequantur [1], *utendum alimentis boni temperamenti*; *ut ſunt* gallinarum carnes, gallorumque gallinaceorum, tum phaſianarum avium, perdicum, columbarum, attagenum, turturum, turdorum, merularum, & paſſerculorum omnium; piſciumque ad hæc ſaxatilium, litoraſiumque, & pelagiorum, & gubiorum, & murenæ, & bugloſæ, & aſelorum; breviterque piſcium omnium, quicunque nullam inter edendum nec vicciditatem, nec ſaporis fœditatem, nec inſuavitatem repræſentant [2]. *Ordinarium verò cibum ſit caro arietis*, eſt enim caro vervicina, ſeu arietina bene digeſtiva, & nutritiva, & generat bonum ſanguinem, & maximè vervex qui eſt juvenis, & caſtratus, ſecundùm medicos [3]. *Sed ego* (ſimplicitate legibus amicâ amplexâ [4]) *caverem ſolùm ab immodico caſeo, oleo, cepis, & oleis*, quia iſta cibaria, & alia groſſiora non conveniunt judicibus [5].

1 *Galen. lib. quod animi mores.*

2 *Galen. de cibis boni & mali ſucci, cap. 3.*

3 *Ioan. de Platea in l. 1. C. erog. mil. an. lib. 10.*

4 *§. Cæterum Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.*

5 *Puteus de ſindicatu verbo, poteſtas, cap. 2. n. 7. in fine.*

Sicut aêr temperatus, ita & saluber aqua est in- 2
quirenda, ex his enim maximè pendet sanitas corporum, quæ sæpius in usum hominũ assumuntur[6]; aquæ verò bonitas probatur ex aspectu incolarum, si sint corpore robusti, colore nitidi; non gibbosi, non strumosi, non vitiati cruribus, non lippis oculis, & non fatui[7].

Vinum moderatè haustum mentem acuit[8]; qui 3
robusti sunt habitu, & labori dediti vino nigro crassioris substantiæ uti tenentur; at qui vitam degunt sedentariam uinum tenue, & album bibant[9]. Sed ab ebrietate omnes diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, & se à vino; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum[10]; luxuriosa res vinum immodicum & tumultuosa, ebrietas, omnis qui cum his miscetur non erit sapiens[11]; *unde* Deus qui sciret quòd vinum sobriè potatum sanitatem daret, augeret prudentiam; immodicè sumptum ad vitia causas daret; creaturam dedit, & copiam humano arbitrio reservavit; ut parsimonia naturæ esset magisterium sobrietatis; abundantia tamen noxium lapsum tumulentum sibi adscriberet[12].

Suadeo, ut mutuas commessationes fugiatis[13]; 4
satietas tum corporis robur, tum animi minuit fortitudinem[14]; & hinc est quod pinguis venter tenuem sensum non gignit[15]; *ac* homines qui gulæ, ac ventri student nunquam benevalere, aut longævos esse posse; animasque eorum nimio sanguine, nimiàque sagina ita impediri, ac si luto involutæ essent; idcirco nihil tenue, nihilque cœleste meditari,

6 *Div. Thom. lib. 1. de reg. Prin. cap. 2.*

7 *Mascard. de probat. conclus. 122. n. 1. vol. 1.*

8 *Ex Arist. P. Mendoça in viridar. lib. 4. problem. 21. ver. altera.*

9 *Mercat. lib. 1. inst. 2.*

10 *Cap. a Crapula 14. de vita, & honest. diricor.*

11 *Cap. luxuriosa 35. dist.*

12 *Div. Ambros. 3. examer.*

13 *Cacialup. de modo stud. docum. 1. versic. cavent a Crapula.*

14 *Ex Div. Chrysost. sup. Ioan. homil. 21.*

15 *Cacialup. supr.*

meditari, sed de patinis ac ventris ingluvie semper cogitare[16]. *At* experientiâ noscitur reprimentes appetitum in comedendo plus valere corpore, & subtilitate ingenii [17], est præterea qui scribit Bartolum, ad pondus comedere solitum fuisse, ut intellectum haberet pariter dispositum, & nunquam alteratum; quod non ridebit qui Italicorum professorum in ingenio fovendo curam & studium cognitum habet [18].

16 *Patritius de rep. lib. 5. tit. 8. in fine.*

17 *ex Joan. Serapan. in medicina Hispana, cap. 2. pag. mihi 18. in fine.*

18 *Ioan Fichard. in vita Iurisconsultorum, in vita Bartoli.*

QVALITAS XI.

Ornatus.

1 Doctores togati, & ornati incedant, ut per illa dignitas doctoratus appareat [1]; talis enim primâ facie *quis* præsumitur qualem eum indicant vestes esse; sæpè, maximè inter ignotos, vestis est causa honoris; juxta illud; hunc homines decorent, quem vestimenta decorant;

Vir bene vestitus pro Vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis idiota sit ille [2].

Item quia in doctore adest majestas propter officium, debet incedere in formâ, & honorificentiâ, ut habeatur in maiori culmine [3] unde Seneca ait uxori Neronis: indue te delicatè, charissima, non propter te, sed propter honorem imperii [4].

1 *Glosa verbo dignitatem ad fin. in cap. ut Apostolicæ de privileg. in 6.*

2 *Speculator tit. de advocato §. sequitur n. 1. & 3.*

3 *Bobadilla in polit. lib. 1. cap. 3. n. 44. & 45. in marg. h.*

4 *Specul. supra n. 1. Palaa. Rub. in rubr. de donat. §. 11. n. 10. in fin.*

Dissolutos

Diſſolutos autem, & fractos in veſtibus inceſſus 2
non recipimus [5], nam incompoſitio corporis inæqualitatem indicat mentis [6].

Si careas veſte, nec ſis veſtitus honeſtè
Nullius es laudis, quamvis ſcis omne quod audis [7].

Nec *tamen* in qualitate pani regularis excedatur 3
modeſtia, nec quæratur quod pretioſius, & ſubtilius, ſed quod utilius valet inveniri [8]; *nam* peſtis efficaciſſima ſtudioſis luxuria veſtium [9]. Debet igitur veſtis eſſe conveniens ſtatui, & ordini, & officio; non diverſi coloris, aut diverſæ partis, non nimiâ brevitate, vel longitudine notanda; non ſericis texturis variata, vel ex variis coloribus ornata; regionis in qua ſunt morem ſervent; hiſcum quibus vivunt ſe conforment. Sed & alio ornatu ſe honeſtè gerant: puta in ſotularibus, frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus, fibulis, corrigiis, & aliis ornamentis [10]. Fugiant maximè ab uſu meliorum veſtium diebus feſtivis, quam diebus aliis, quia eſt quid ruſticum; unde [11] Diogenes conſpicatus Lacædemone peregrinum ſe ad diem feſtum ambitioſiſſimè componentem, quid, inquit, bono viro nonnè omnis feſtus eſt dies [12]?

Sic debent cavere à capillorum affectuoſo ornatu, 4
eſt enim effœminata res; & à ſimulatione coloris in capillis; qui in capillis infidus eſt, qualem in negotiis remur futurum? Archidamus Rex Macedoniæ indignatus in Ceum ait [13]: quid hic ſani

5 *Cap parcimoniam 41. diſt.*

6 *Div. Auguſt. relatus in cap. fin. 41. diſt.*

7 *Specul. ſupra n. 1.*

8 *Clement. 1. §. 1. de ſtatu monac.*

9 *Cacialup. de modo ſtud. docum. 4. ad fin.*

10 *Specul. ſupra n. 2. 4. & 5.*

11 *Ex Bobadilla ſupra n. 44.*

12 *Bruſon. in Facet. lib. 7. cap. 12.*

13 *Ex Bobadilla ſupra n. 48. & ibi in marg. 1.*

sani dicet, cujus non solùm animus, verum etiam caput fucis contaminatum est [14].

14 *Ælian. lib. 8. var. histor.*

5 *Idem de ornatu domus, in nullo tamen nimis curiosi futuri; nam* qui domum prolixè componunt; & qui sunt ita politi, & expoliti ut pilis pallii, & rugis vestium offendantur, habent certam imaginativæ differentiam memoriæ, & ingenio valdè contrariam [15].

15 *Ex Ioanne Huarte in exam. ingen.*

6 *In librorum ornatu sciant*, quod liber digesti veteris (propter puritatem, & simplicitatem veteris juris, & naturalis, saltem secundarii, unde originem sumpserunt contractus, & placitandi usus qui in eo continentur) solet albâ pelle, puroque cooperto tegi. Digestum Infortiati solet nigrâ pelle vestiri, quia de causis hæreditariis, & bonis defunctorum tractat, quo eventu lugubris vestis, hoc est nigra, eligi debet. Digestum novum tractans de criminibus & delictis, & eorum pœnis, ideo rubeâ, & sanguineâ veste induitur. Codex liber novior, & recentior quàm leges digestorum, ideo floridâ, & viridi veste induitur. Volumen quia partim codicis, & novarum constitutionum, & partim etiam quasdam pœnales, & fiscales sanctiones continet, & in nonnullis locis pœnam transgressoribus irrogat, idcircò, bipartitâ veste, viridi puta, & rubeâ coloratus incedit [16]. *Sed hæc omittendo, consulo Doctorem quod in medio librorum Christi crucifixi habeat imaginem, exemplo Sancti Bonaventuræ*, cujus sanè præcellentis doctrinæ non solùm vim, sed copiam cum Sanctus Thomas admiraretur, ipsum convenit, à quo sibi bibliothecam

17 *Sebast. Brant. in expos. tit. in princ. post præfat.*

thecam ostendi petiit unde tam multiplicem, atque adeo magnam eruditionis ubertatem hauriret; Is verò Christi Domini crucifixi imaginem demonstravit, è quo fonte uberrimo se accipere professus est quidquid vel legeret, vel scriberet [17].

17 *Petr. Galesin. in vita S. Bonæ Pisan. cap. 8.*

QVALITAS XII.

Unicæ scientiæ incumbendum; & quomodo intelligatur.

Vnusquisque sit contentus arte suâ, nec inquietetur discendo alienam [1]; pluribus intentus minor est ad singula sensus [2]. *Vt* nemo potest duobus Dominis servire [3], est de rarò contingentibus, quod quis plures scientias possit habere perfectè, cum vix ad unam scientiam quævis longissima vita sufficiat [4]. Vita brevis, ars longa [5]. *Vnde* ita naturâ comparatum est, ut singulis causis singuli fines præscribantur, singulisque individuis singula ornamenta sufficiant, & quæ pluribus facere satis possunt, in unum minimè conferantur; quantò igitur uni ex re aliquâ per naturam magis accedit, tantò ex aliâ eidem detrahi necesse est; quo fit, ut summum eruditionis gradum in diversis facultatibus quisquam assequi non possit, & in multiplici genere præcellere frustra contendat; unius rei studium 1

1 *Ex Franc. de Fuensalida in requie anim. cap. 7. post med.*

2 *Vulgare.*

3 *Matth. cap. 6.*

4 *Bald. cons. 412. post princip. vers. in contrarium lib. 1.*

5 *Hipocr. lib. 1. aphor. 1.*

ſtudium totum hominem poſcit, & ubi quiſque intenderit ejus ingenium valet; ſicut enim ſtomachus variis eduliis ſuffertus, diverſiſque potionibus natans concoquere nihil poteſt, ſic ingenium ad diverſa diſtractum optimam ſui vigoris partem amittit [6].

[6] *Matth. Gribald. de meth. ac rat. ſtud. lib. 1. cap. 2.*

Fortè opponet aliquis Marcum Catonem Portiæ familiæ primum, quem triplici dote inſignem uſque ad ſummum fuiſſe proditum eſt; ſummum ſcilicet oratorem, ſummum juriſconſultum, ac denique ſummum Imperatorem. Verùm ſi cum peritis ſui temporis, aut paulò junioribus conferamus, aliter ſentiemus; fuit enim Marcus Cato in legibus, Gallo Aquilio longè inferior; in orando, Marcum Tullium non æquavit; in re bellicâ, Caio Cæſari minime comparandus [7]; *& quamvis* fuerint viri excellentes in medicinâ, & legibus, prout Joannes & Jacobus de Ravennâ [8]; ad ea potiùs debet adaptari jus quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ rarò eveniunt [9].

[7] *Gribald. ſupr.*

[8] *Tuſc. lit. 5. concl. 59. n. 2.*

[9] *L. nam ad ea 5. ff. de legib.*

2 Nolim tamen quenquam facilè exiſtimare variæ lectionis ſtudium à me ita damnari, ut unâ electâ diſciplinâ, reliquas omninò rejiciam. Verùm ſententiam noſtram ſic temperari volumus, cæteras diſciplinas (præter eam in quâ quis excellere contendit) toto ac principali ſtudio non eſſe tractandas, ſed quantum per otium licet: per otium verò licere putamus, ut principali ſtudio nihil omninò, vel ingenii, vel neceſſarii temporis ſubtrahatur [10]; *in hoc enim ſenſu notatur* Cælius Antipater qui plus eloquentiæ, quam ſcientiæ juris operam dedit [11].

[10] *Gribald. ſupra.*

[11] *L. 2. §. poſt hos 1. ff. de origin. jur.*

Proinde, clarissimi juvenes, ita legibus operam date, ut nullus extraneus actus vestra studia interrumpat, nulla alterius disciplinæ libido, (nisi recreationis gratiâ) vestrum ingenium distrahat [12]. Quando autem fieri nequit ut severis studiis perpetuò insistamus, nullâque intermissione animum relevemus, id ipsum temporis, quod jucundioris otii causâ subtrahimus, liberalibus studiis, atque in probatis autoribus consumi velim [13]. Non enim sunt audiendi qui hisce studiis clamant absumi tempus importunè, quod severioribus, ac primariis scientiis impendendum est; his enim, si adhibeas modum, tantum abest ut fatigent animum, ut etiam alacriorem te reddant ad exquisitiores contemplationes. Et memineris, istas bonæ famæ hirudines ideò vociferari; ut ne quod eis deest adsit nobis; at enimverò nobis tam non abest quod eis adest, quàm adest quod non adest illis [14].

Quinimò cum plusquam manifestum sit aliam disciplinam alii ornamento esse, nec lateat campum versicolore gramine vestitum, diversoque flosculorum genere variatum pulchriùs arridere [15]; *plurium disciplinarum notitiam jurisperito non solùm convenientem, sed aliquando necessariam dicemus* in 14. Qualit. n. 7. & Qualit. 15. ex n. 9. *Vnde legitur de* Bartolo & Hebraicas literas, & mathemata (quorum usum ad jus quoque civile in commentariis suis induxit) perdiscisse, & plurium disciplinarum, quàm juris civilis peritiam habuisse [16]. *Neque hoc impossibile, nam* de Socrate, Platone, Aristotele, Augustino Sancto, Alberto Magno, Raimundo

12 *Gribald. supr.*

13 *Gribald. d. lib. 1. cap. 20.*

14 *Jul. Cæsar Scaliger. in poeticâ ad fin. præfat. ad filium.*

15 *Gribald. supra cap. 2. ad fin.*

16 *Ioan. Fichard. in vita Iurisconsult. tit. de Bartolo.*

mundo Lullio, & Joanne Pico Mirandulano est notissimum, omnium penè artium, disciplinarum, scientiarum, ingenii altitudine lucem claram obtinuisse[17]. 17 *Ex Thom. Garcon. in theatro ingen. discursu 34.*

QVALITAS XIII.

Alacriter studendum.

1 ALacri studio disciplinæ incumbendum[1]. *Et ad hoc considerandæ quæ sequuntur.* 1 *Summar. §. fin. in præm. instit.*

2 Scientia est locus eminens ad quem vir probus adspirare tenetur. Unde sapientes intuentur ab aliis reverentèr. Scientiam appellarunt docti salutem hominis; ignorantiam, morbum, & infirmitatem. Sic judicium est sapienti lux oculorum, viridarium cogitationis, magister mansuetudinis; agens prosperitatis; dux controverriarum; anima boni interioris; advocatus consiliorum, lætitia cordis; requies animæ. Excedit divitias; divitiarum enim fructus est vivere voluptuariè; scientia verò ultra divitias acquirit honores, & consequenter æstimationem; item scientia est defensio, & refugium studentium; divitiæ autem indigent defensore; unde sapiens ad filium: Acquire scientiam & habebis divitias; nunquam enim sapiens absque honore & utilitate se vidit. Socrates interrogatus, quid cum Philosophiæ studiis consequeretur?

ſequeretur? reſpondebat: Ego ignorantes tantum excedo, tanquam qui è ſecuro portu naufragantem aſpicit. Sublimes locos tribuit ſapientia humilibus; ignorantes, divitiis, & ampliſſimâ cognatione muniti, ruinis maximis ſunt ſubjecti. Cum Philoſophus quidam inter naufragium divitias amiſiſſet, & nudus in vicinam inſulam appelleret, geometricas ibi inveniens figuras; Diis gratias egit, quòd in ſapientium terram eum contuliſſent, ubi facilè poſſet damnum inſtaurare; neque eum ſpes fefellit; cum primùm enim ejus ſapientia innotuit, & honores, & divitias adeptus eſt; quo exemplo amicos illuc venientes conſulebat, ut cum navim aſcenderent, illud quod maris imperio non ſubjacet, ſapientiam ſcilicet, exportarent. Sapiens eſt tanquam leo, quocunque vadit omnia ſecum portat, videlicet fortitudinem [2]. Sic Ægyptii rarâ antiheſi cœlum undequaq; rorans depingebant, ſcientiarum fructus ſignificantes [3]. Sapientiâ denique nihil præſtantius mortalibus eſſe poteſt, quâ Deo maximo conjuncti eſſe cernimur [4]; omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua; & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius; infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei [5].

2 *Ex doctrina princip. apud Franc. Gurmendi, cap. 1.*

3 *Ex Thoma Garçon in ſynag. ignor. diſcurſu 9.*

4 *Caſſan. in cathal. 10. part. conſider. 9.*

5 *Sapient. 7.*

De laudibus verò ſingularum ſcientiarum, quia 3
nolo verboſos commentarios facere [6], *videas* Caſſaneum in cathal. glor. mundi parte 10. ex conſider. 10. *Illud intactum nolo* quod jus civile & canonicum eſt ſcientia, & juriſperiti dicuntur eſſe Philoſophi

6 *L. 1. ff. de orig. jur.*

loſophi veri profundioris ſcientiæ, & doctrinæ; & non eſt ſolùm ſcientia practica, ſed etiam ſpeculativa; *&*, quod plus eſt, non ſolùm dicitur ſcientia, ſed & ſapientia[7], & dignior aliis[8]; *unâ demptâ theologiâ*; *quin imo* Theologia participat cum ſcientiâ juris canonici, & civilis, & eſt quædam ſimilitudo inter illas[9]. *Et qui aliquid ex dictis negas, vide Neviſan. & Caſſan. probantes latè, nec judices quod non intelligis*; *nam ſicut* cæcus non judicat de coloribus, *ſic tu Philoſophus, Theologus, Medicus, vel quiſquis es, tramites & fundamenta juriſprudentiæ ignorans quomodo poteris hoc judicare?*

4 *Deinde* (*quia* nutriunt præmiorum exempla virtutes, nec quiſquam eſt qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratus non relinquitur[10]; *& è contra*

Ipſe decor recti facti ſi præmia deſint
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.)

Ante oculos ſtudenti verſetur inæſtimabile præmium conſequuturum, cum ſit inæſtimabilis ſcientia[11], *&*

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces[12].

Vlteriùs (*qui juri operam datis*) ſpes vos pulcherrima foveat toto legitimo opere perlecto poſſe etiam veſtram rempublicam in partibus ejus vobis credendam gubernare[13].

5 *Iterum* (*quia* honos alit artes[14]) *ſciat quod* ſcientia nobilitat[15]; & reddit homines nobiliſſimos; unde

7 *Caſſan ſup. conſid.* 18.

8 *Neviſan. lib.* 5. *ſilvæ nupt. ex n.* 79.

9 *Caſſan. ſupra conſider.* 23. *& vide conſid.* 22.

10 *Caſſiodor. lib.* 2. *Var. epiſt.* 16.

11 *Gloſa verbo doctior in l. pen. ff. ad exhib.*

12 *Sil. Italic. lib.* 2 *belli Pun.*

13 *§. Fin in præm. Inſt.*

14 *Tull. lib.* 2. *Tuſculan.*

15 *Gloſa verbo nobiliſſimos in l. pen. C. de poſtul.*

unde Stoici dicebant, omnes ſapientes, & doctos, liberos eſſe; & Tullius in paradoxis inquit, nullus vir doctus ſervus, aut ignobilis eſſe poteſt, niſi fortè volutabro vitiorum fuerit infectus, & 1. polit. Philoſophus inquit, quod homines ratione, & intellectu vigentes ſunt Domini, & rectores aliorum [16], ideò de doctoribus qui actu legunt non dubium eſt quin in patriâ, & in eo loco ubi legunt cum nobilibus admittantur, & jure communi iſti doctores ſunt nobiles; idem exiſtimamus de doctoribus graduatis in univerſitatibus, quamvis in eis non legant, nec aſſiſtant [17]. *Sic* licentiatus; quia in favorabilibus propriè doctores ſint, & doctorum contineantur nomine; ſecùs verò in odioſis [18]. Imo doctores quam primùm incipiunt legere appellantur clariſſimi, & quando legerunt viginti annis ſunt Duces, & Comites [19]. Juriſperitis etiam Princeps honorem exhibet; ſunt multum honorandi; conſiliarii Principis vocantur [20]. Doctorali dignitate nihil altius [21]. Doctores ſunt ſtellæ manentes in perpetuas æternitates; fulgent tanquam ſplendor firmamenti; ſunt fundamenta militantis Eccleſiæ in montibus ſanctis; ſunt quaſi lucernæ ardentes, quæ lucent ſuper candelabrum in domo Domini [22]. *Quæ de vero Doctore, non* de eo qui potiùs eſt Doctor juris ſorbibilis, quàm civilis; vel de his qui legunt ſolùm pro repertorio, & non ſtudent in fundamentis juris; vel qui non ſit Doctor, ſed Dolor; vel cui pulvis cecidit ſuper libros; vel Doctor de placebo Domino; vel qui allegaret leges tantùm facientes ad propoſitum,

16 *Caſſan. ſup. conſid. 6. verſ. facit.*

17 *Ioan. Garcia de nobilit. gloſa 35. ex n 4.*

18 *Garcia ſup. gloſ. 48. §. 3. n. 73.*

19 *Neviſan. ſup. n. 36.*

20 *Caſſan. conſider. 8. 24. & 41.*

21 *Aſflict. de jure prætorii. in præfat. n. 3.*

22 *Petr. de Vbald. ſuper Canonica Epiſcop. in præfat. n. 1.*

positum, sicut asinus volat; vel positus sit in titulo de stylo ignorantium; vel esset Doctor de duodena; vel disputat de lanâ caprinâ; vel si una gallina fecit ovum, alia foverit, cujus sit fœtus [23]; vel Doctor necessitatis, id est, sine lege, cùm necessitas non habeat legem; vel Doctor Monetæ tonsæ; id est sine literis, cum tales monetæ literas non habeant [24]; ut ille qui dicebat cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. solùm procedere in hermaphrodito; vel ut ille qui allegabat pro hærede quòd non teneretur solvere creditoribus defuncti, quia mors omnia solvit; §. deinceps in auth. de nupt. [25]. *Vel qui non solùm dicat* quod si mulier consentiat alienationi animo decipiendi emptorem, (ut quia tempore alienationis asseruit rem non esse dotalem, cum tamen re verâ dotalis esset) in præjuditium mulieris decipientis ea alienatio habebitur pro valida [26] (quod certè est absurdissimum [27], nam de facili posset lex fraudari si ex solâ assertione mulieris contractus validaretur [28];) *sed addat* quod si maritus rem dotalem vendat tanquam propriam & mulier præsens sit, & taceat, tacendo videtur voluisse decipere emptorem; *cùm* in distinctè si uxor solùm præsens sit, & taceat non ob id videatur esse in dolo, & magis credendum est tacuisse propter reverentiam mariti; ne eum de mendacio argueret [29]; *nec sufficeret si* induceretur consensus interpretativus [30], *sed requiritur* quod appareat mulierem asseruisse rem non esse dotalem [31]. *Vel si dicat, id quod maritus solus recepit præsumi versum in utilitatem uxoris*, quæ traditio damnatur,

23 *Nevisan. sup. n. 39. & 40.*

24 *Gratian. discep. tom. 1. cap. 186. n. 41.*

25 *Nevisan. sup.*

26 *Barbos. 5. p. l. 1. n. 43. ff. Sol. matr.*

27 *Valasc. cons. 150. n. 19.*

28 *Gratian. decis. 234. n. 8.*

29 *Barbaros. sup. n. 47. ad fin.*

30 *Barbos. supra.*

31 *Ioan. Imola in l. cum vir n. 12. de usu cap. & in cap. cum contingat n. 24. ad fin. de jurejur. Barbos. d. n. 43.*

natur[32], nisi manifestè probetur quod pecuniæ in propriam ipsius mulieris utilitatem expensæ sint[33], & ista est communis opinio à quâ temerarium esset discedere[34]. Nec benè in contrarium referuntur verba Bartoli in cons. 124. qui in nostro casu non loquitur, sed quando mulier cum marito recepisse pretium confitentur[35]. (*Et tunc etiam* prædictum dictum Bartol. est communiter reprobatum[36], *ipseque sibi contrarius in auth. si qua mulier n. 2. & 3. & in corpore unde sumitur C. ad Vell.*) et hæc resolutio semper in praxi servatur[37]; *quod latiùs in nostris consiliis, Deo dante; & tamen in his casibus, sine autore, vel ratione* (*ô summam infæliçitatem!*) *contra me judicarunt quidam Domini mei quorum aliquis, tanquam* Publius Contius, qui se jurisconsultum jactabat, et cum ut testis interrogarentur, et se nihil scire diceret, Cicero in ejus imperitiam jocatus; dic quæso, ait, forsan de jure te interrogatum credis[38]? Neque ego de ullo dico nunc, nisi de eo tantùm qui in se id quod dico esse agnoscit; si enim extra conscientiam suam sunt quæcunque dico, nequaquam ad injuriam ejus spectant cuncta quæ dico; si autem in se esse novit quæ loquor, non à meâ sibi hoc linguâ dici existimet, sed à conscientiâ suâ[39]. Privilegiis Doctorum non gaudent isti Doctores ignari[40]. Quia Doctor sine scientiâ est ut Comes sine comitatu, & fons sine aquâ[41]; imo pocant accipientes gradum indignè[42]; & tales quamvis sint approbatiex superveniente causâ repenti indocti possunt reprobari propter publicam utilitatem ob cujus favorem permittitur, quamvis

32 *Menoch. lib. 6. præsumpt. 27. n. 7.*

33 *Auth. 5. qua mulier C. ad Vellean.*

34 *Gratian. discept. cap. 576. n. 35.*

35 *Valasc. consult. 83. n. 9.*

36 *Barbos. sup. n. 38. vers. sed cavendum.*

37 *Flores ad Gam. decis. 228. in fine, alias 227.*

38 *Nevisan. sup.*

39 *Salvian. de vero jud. & provid. Dei, lib. 4. post princ. pag. mihi 29. post med.*

40 *Nevisan. sup. n. 44.*

41 *Nevisan. n. 40.*

42 *Nevisan. n. 54.*

quamvis sit eis jus quæsitũ [43]; *ut* privati sunt multi [44]. *Quinimo eis non est jus quæsitum*, quia dignitas non facit Doctorem, sed scientia [45]; cum monachum non faciat habitus [46], quid est dignitas in indigno nisi ornamentum in luto [47]? Unde bachalaureus eminenti scientiâ est egregia persona, & simplici Doctori qui scientiâ non ita emineat præfertur [48]. *Imo istis* doctorellis etiam boni scholares in honoribus præferendi sunt [49]. *Quomodo verò Doctores inter se præcedant?* Cassan. in cathal. 10. p. ex consider. 26.

Item advocati sunt egregiæ personæ [50]; præsumuntur nobiles de jure; est enim officium advocati in vitâ hominum apprimè necessarium; & honore, & laude, & gloriâ, & nobilitate nobile, & illustre; imo sunt in dignitate constituti, & appellantur clarissimi. Advocatum accipimus non quemlibet circumforaneum, rabulam, aut blateratorem, molestum, garrulum, loquacem; sed qualem jura exigunt, doctum, jurisperitissimum, innocentem, bonum virum, Dei timidum, qui solam juris rationem sectatus causasbucri longè à se propellat; hunc clarissimum, nobilem, glorioſum, laudatissimum, & egregium censemus; si qui verò sunt qui, lucro inhiantes, jus, æquumque contemnunt, hos indignos tanto nomine arbitramur; nec enim hi sunt quibus vita hominis cum fortunis suis tutò committi possit; denique, cum Cicerone, advocatum eum verè existimamus, cui nihil ignorare liceat, cujusque domus oraculum sit civitatis, ad quem cives, velut ad Apollinem consul-

43 *Gratian. discept. cap. 286. n. 32.*

44 *Ex Stephano Costa de ludo in præfat. n. 2.*

45 *Ex Bobadilla polit. lib. 1. cap. 6. n. 38.*

46 *Cap. porrectum 13. de regular.*

47 *Salvian. sup. lib. 4. in princ.*

48 *Garcia de nobil. glosa 48. §. 3. n. 74. & glosa 35. n. 34.*

49 *Nevisan. sup. n. 45.*

50 *Garcia supra glosa 48. §. 3. n. 75.*

tum confluant, ejus & literis, & pietate, & eruditione, & vitæ innocentiâ confisi [51]. *Hi* lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi quàm si præliis, atque vulneribus patriam, parentesque salvarent [52]. *De his verò qui* contra veniendo suis officiis non meminerint se continere intra metas suæ vocationis [53], *infra* 23. *Qualit. n.* 26.

Tandem si dat Galenus opes, dat Justinianus honores [54].

His attenti haud dubitem quod summâ ope, & alacri studio disciplinas accipiatis, ac fructus colligatis uberrimos [55]. 6

51 Garcia *supra* glosa 35. *ex n.* 11. *usque ad* 18. *& n.* 28.

52 L. *advocati* 14. C. *de advoc. diversi. judicior.*

53 Gratian *discept. cap.* 186. *n.* 57.

54 Glosa *verbo*, ditissimi, *in* §. *nos verò in proœm. ff.*

55 §. *fin. in proœm. Inst. & summarium. ibi.*

QVALITAS XIV.

Aliqua scienda necessariò, jurisperito.

PRimò titulorum omnium juris tam civilis quam canonici expositiones [1]. 1

Secundò natura actionum, interdictorum, edictarum, Senatusconsultorum, legum particularium, & bonorum possessionum. 2

Tertiò materiarum sedes, *id est* ea loca in quibus materiæ à Doctoribus pleniori stylo, & solenni (ut inquiunt) apparatu communiter pertractantur, 3

1 Sebast. Brant. *in expos. tit. ubi vide, & in glosis ad tit. Vide Odofredum in summâ libellar. & titulos juris cum glosis.*

ad quæ confugere ſolemus quoties facti ſpetiem ſeu deciſionem haud facilè retinemus [2].

5 *Quartò* laudarem quod memoriæ commendarat titulum de verb. ſignif, & titulum de reg. jur. ff. & regulas juris de quibus in ſexto ſingulis diebus aliquas, nam & animum recreant ipſarum varietate, & plurimum conferunt; ſunt enim principales claves juris quibus eſt inhæredum tanquam Bononienſi carrocio, ut dicit Gloſa in l. omnis definitio de reg. jur. quin imo illas ignorare lata culpa eſt; unde belliſſimè exclamat Saliat. in repetit. l. quod te ff. ſi cert. pet. & l. quod Nerva. de poſit. contra illos qui negligunt regulas ſcire, & implent caput ſuum caſibus ſingularibus, & peregrinis, quæ doctrina eſt fallax, & periculoſa [3]: *Addo titulum de legibus, & alia generalia juris de quibus Gribaldus*; *ait*; quis tam præcipitis judicii, tam impudentis animi invenietur, qui ſe juriſconſultum profiteri audeat? qui de jure palàm conſulere, vel reſpondere præſumat, cui vel hæc pauca juris præcepta non conſtent [4]?

6 *Quintò* loci communes ingenii gratiâ habendi [5]; Noverint ſtudioſi locos appellari ſedes quaſdam, ac promptuaria, è quibus ceu receptibus, ac Theſauris quibuſdam in rem quamvis confirmandam, refellendam ve neceſſaria, vel probabilia ducuntur argumenta [6]; nam quoties facti ſpecies occurrit nullo vel Cæſarum, vel prudentum reſponſo propriè definita, (nec enim potuere caſus omnes lege comprehendi l. non poſſunt de legib.) tunc ingenio maximè opus eſt, quod, niſi brevi quadam me-

[2] *Matth. Gribald. de methodo ac ratione ſtud. cap. 19. apud quem vide.*

[3] *Gacialup. de modo ſtud. docum 7. verſ. laudarem & verſ. 1. in fine.*

[4] *Gibrad. ſupra cap. 3.*

[5] *Gribald. ſup. cap. 17. apud quem videbis locos iſtos cap. 18. & apud Everardum infra citandum.*

[6] *Evrard. in loti. argument. in præfat. verſ. ac primum.*

thodo ad veritatis limina dirigetur, facilè in tali novitate succumberet; proinde miserrimi ingenii eos esse putabat Doctor Cast. in l. Clodius circa fin. de acquir. hæred. qui non nisi inventâ lege, aut decisione propositas quæstiones noscent definire; at verò perspicax ingenium cupiens à tali se miseriâ liberare ad communes locos confugit, omnia colligit, omnia confert, singula discutit, nihil non tentat, omnem denique lapidem movet ut rectè definiat; leges aliis casibus præscriptas novo casui applicat, nunc per locum ab absurdo, nunc ab identitate rationis, nunc à similitudine facti, nunc à speciali, nunc ab opposito, nunc à cessante ratione argumenta deducit, non ignorans, omnem vim legum in inductione, & applicatione consistere l. non solum §. qui primi prillum de excus. tutor; & quod liquidò constare non potest argumentis subtiliter cognoscendum esse, l. non omnes §. à barbaris de re milit. [7].

7 Gribald. d. cap. 17. post princip.

8 Gribald. sup. lib. 2. in princip. ubi vide & Augustin. Barbos. in l. bello. Axiomata juris.

9 Mynsger. in §. illud proprium Inst. de adoption.

10 Ex Gregor. Lop. Madera in fin. prol. ad Excell. Monarc. Hispan.

Sextò juris axiomata afferent certè utilitatem tum in legendo, tum in disputando; dum tamen suo loco adducantur, & ad eam de quâ agitur materiam rectè adaptentur [8]. 6

Septimò teneo historias veteres penitùs perspectas debere esse juris candidato [9]. *Primò ad decidendos casus aliquos*, nam in allegationibus juris antè omnia firmandum est factum ut jus accommodetur, & cum factum est antiquum, illud non possumus firmare si ab historiis, & priscis autoribus non doceamur, qui in comprobationem argumentû præstant [10]; nam cum historia testis sit temporum, lux, 7

&

& Evangelium veritatis, magistra vitæ, nuntia antiquitatis [11], libris historialibus, chronicis, & similibus, si à nostris antiquis creditum videmus, & nos etiam debemus credere, sicut aliis antiquis scriptis [12]; *unde* probant in causis decidendis [13].

Secundò, ad publicas deliberationes utiles rerum gestarum historiæ [14]; *ac inde* quæ sectanda sint depromere, ac nobis proponere ad imitandum; quæ fugienda cavere possimus, quia (ut verè inquit Diodorus) pulchrum est aliorum erroribus vitam nostram in melius instituere, & quid appetendum, fugiendumve sit ex aliorum exemplis posse cognoscere [15]. Quo aspectu Imperator Alexander consiliis togæ, & militiæ literatos adhibebat, & maximè eos qui historiam norant; & Alphonsus Siciliæ rex, optimos consiliarios, mortuos aiebat, intelligens historiæ libros [16].

Tertiò ad intelligentiam aliquorum textuum: nam dum textus in §. est, & aliud Inst. De adopt. *ait*: Divus Justinus pater noster; *sciat non fuisse patrem naturalem, sed* Justinus Justinianum sororis suæ filium adoptavit, & consortem Imperii fecit [17]. *Item ad* l. 2. in princip. ff. de orig. jur. *scias quod* urbem Romam ante Romulum conditam fuisse magnorum virorum testimonia confirmant; memorantque Atlantis regis Hispaniæ filiam Romen vocatam in Palatino monte ejus urbis prima fundamenta posuisse, quæ à parvis initiis profecta orbis imperium longo intervallo nacta est [18]; *quin imo* primos Romæ conditores Lusitanos cum prædicta Atlantis filiâ fuisse [19], eamque urbem olim à Romulo

11
Cassan. in catal. p. 10. consider. 46. vers. accedat.

12
Bart. in l. 1. n. 22. ff. de cert. pet.

13
Cassan. sup. vers. in tantum.

14
Arist. 1. rhet. cap. 5.

15
Cassan. sup. vers. præterea.

16
Just. Lips. polit. lib. 1. cap. 9.

17
Aymar. Rivali histor. jur. lib. 4. n. 57.

18
Ioan. Marian. in hist. Hispan. lib. 1. cap. 10. Vide Cat. in origin. Quint. fab. lib. 1. de aureo sæculo.

19
Ex Fr. Bernard. de Brito in Monarch. Lusit. Libr. 1. cap. 13. Emanuele Faria in epist. hist. Lusit. 1. 9. cap. 1. n. 24.

Romulo ampliatam [20]. *Sic* in §. ſed jus quidem Inſt. de jure nat. *ibi* Romani à Romulo appellantur, *ſcias non* obſcurum eſſe nomen alterum fuiſſe Romæ quod foras enuntiari ceremoniarum arcana vetabant; ejus violati ſilentii reum Valerium Soranum capite pœnis dediſſe; cæterum quale illud nomen fuerit clam eſt [21]. *Sic ad* l. 1. de quæſtor. *videndus* Livius dec. 1. lib. 4. *&* Tacitus lib. 13.

Quarto, in l. verbum 123. ff. de verb. ſign. *ibi* Troia capta eſt; *rubore ſuffundetur qui exitium Troiæ ignoraverit; ſimiliter ſi Athenas, & Lacedemoniam neſciat qui legat* in §. & non ineleganter Inſt. de jure nat. *quod* origo juris ab inſtitutis duarum civitatum, Athenorum ſcilicet, & Lacedemoniorum fluxiſſe videtur.

In ſummâ, hiſtoria ad id quod honeſtum, & utile eſt capeſſendum inflammat, incitat, deteſtatur vitia, probos extollens, improbos deprimens [22]; *ſed iddem eſt juriſprudentia officium,* juſtitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes [23]; *ergo juriſprudentia, & hiſtoria cognatione maximâ copulantur. Sic hiſtorias citant textus; gloſaque & Doctores; & ultra Tiraq. in tract. de nobilit, & ad leg. connub. vide inſtar plurium Mredium in tract.* decretorum, rerumve apud diverſos populos ab omni antiquitate judicatarum; *& agnoſces quantum legum deciſiones hiſtoriis exornentur.*

Diximus in noſtris excellent. Portugall cap. 14. excell. 3. n. 6.

20 *Ex Greg. Lop. Madera in excellent. Monarc. Miſp. cap. 9 §. 4.*

21 *Mariana ſupr.*

22 *Caſſan. ſupra verſic. in ſumma.*

23 *L. 1. ff. de juſt. & jure. Vide l. quicumque 4. de re mil. l. 1. §. ſecundo loco de poſtul. l. poſt liminium 5. §. fin. de captiv. l. ult. de diviſ. rer. §. pen. Inſt. de adopt.*

De

De Scripturarum verò lectione ideò sermonem facere prætermisimus, quòd neminem cujusque facultatis existat (modò Christianus sit) tam neglectæ pietatis esse arbitramur, qui non imprimis eorum quæ ad Dei cultum spectant præcipuam rationem ducat; vana utique erunt omnia, & philosophia, & leges, & medicina si Christiani dogmatis præcepta postponantur [24].

QVALITAS XV.

Aliqua scienda ex curiositate.

1 PRimum juris Origo atque processus [1]; *nam hoc etiam accommodatur* turpe esse patritio & nobili jus in quo versatur ignorare [2].

2 *Secundum* jurisconsultorum nomina, & libri ex quibus Pandectæ consarcinatæ sunt [3]. *Item* Imperatorum nomina quorum constitutiones duodecim libris codicis sunt insertæ [4].

3 *Tertium quomodo & qui* ex omni veterum jurisprudentiâ quinquaginta libros digestorum jussu Imperatoris Justiniani composuerunt [5], *item* Codicem, & Institutiones [6].

4 *Quartum quod illi qui* jussu Justiniani ex omni Veterum jurisprudentiâ quinquaginta libros composuerunt, illis nomen Digestorum, seu Pandectarum posuere. Digestorum, quidem, quia confusè

princip. Inst. de codicill. l. un. de off. præfect. præt. glos. margin. in §. qui tutelam Inst. de excusat. tut. Alciat. disputt. lib. 3. cap. 8. & Pareg. lib. 2. cap. 49. Pichard. in §. conceptum Inst. de obligat. quæ ex delict. & in §. possunt. de testam. n. 6. & seq. & plures alios.

24. *Matth. Grib. sup. lib. 1. cap. 20.*

1 *In l. 2. ff. de orig. jur. et apud Aymar. Rivard. de hist. jur. in 5. tom. tract.*

2 *D. l. 2. §. Servius de orig. jur.*

3 *Apud Ang. Politian. in epist. Iacobo Modesto quæ est in princ. ff. vet. Et Bernardin. Rutil. de vit. jurisconsult.*

& obſcurè tradita per antiquos digeſtè, & dulcidè ſcripta in illis inveniuntur: Pandectarum, quaſi omne genus doctrinæ complecterentur; nam verbum, Pandecta, Græcum eſt, & ſignificat librum omni genere doctrinæ refertum [7]; à, Pan, quod eſt, totum, &, Decten, doctrina [8]. Vocabula igitur, Digeſti Novi, & Veteris, et Inſortiati, nova ſunt; et temporibus Pilei, Azonis, et Bulgari inventa, qui (ut ego conjicio) totam compoſitionem Digeſtorum in tres tomos dividentes ut faciliùs, circumferrerentur, in horum tomorum nomine imponendo voluerunt imitari antiquos; nam ſicut hi à primis verbis tractatus ſive libri nomen colligentes, illud toti tractatui, ſive libro imponebant, ut colligitur ex l. 1. quor. leg. et ex l. 1. quod vi, aut clam, et proſequitur Alciat. lib. 2. Parerg. cap. ult. ita etiam et prædictorum nominum inventores, à primâ rubricâ ſive titulo tomi, ſive voluminis nomen colligentes, illud toti tomo, ſive volumini imponendum eſſe exiſtimarunt; cum igitur ultimus tomus digeſtorum incipiat à titulo, ſive rubricâ, de novi operis nuntiatione, ex eo titulo collegerunt nomen digeſti, Novi, cum autem nomen, novi, ex vi correlationis vetus præſupponat, et ultimo tomo nomen Novi impoſuerint; primo tomo nomen Veteris magis convenire exiſtimarunt. Porrò prædictorum, nominum inventores morem ſupra relatum ſequuti, et conſiderantes medium tomum digeſtorum incipere à titulo ſoluto matrimonio, ac ita incipere à matrimonio, cujus proprium eſt habere onera annexa,

huic

[7] Manth. Grib. de rat. ſtud. lib. 1. cap 21. Raſtaur. Caſtillin. de Imperatore quæſt. 63. n. 9.

[8] Habentur in princ. codicis ſtatim poſt indices.

[5] Barboſa 1. p. rubr. ff. Solmatr. n. 2.

[6] In tit. C. de vet. jure enucl. & de novo cod. fac. & de Juſtin. cod. conf. & de emend. cod. & in procm. Inſt. Et apud Cacialup. de modo ſtud. cap. ult. copilatio juris.

[7] Barboſ. d. n. 2.

[8] Sebaſt. Brant. ante expoſit. titul. verſic. libri.

huic tomo nomen, Infortiati, inponendum existimarunt; deducentes illud à verbo Græco, quod significat, onus; vel, sarcinam, ac si dicerent tomus digestorum, qui incipit, ab oneribus item *quia* is tomus incipit; soluto matrimonio quemadmodum dos petatur; & restitutio dotis post solutum matrimonium ex se maximum onus continet respectu mariti[9]; & obiter adverto improprietatem qua hodiè Pandectæ, seu Digesta in allegationibus inscribuntur, cum enim inscribi deberent per P. Græcam in hanc formam π. quasi Pandectæ; breviter, per corruptellam scribitur vulgariter cum duabus ff.[10]. *Codex vocatur, quia* codex, liber, dicitur[11]. *Alius* liber legum est volumen, continens Institutiones, tres ultimos libeos codicis; qui (ideò non fuerunt repositi ad alios novem libros tractantes de jure privato, quia hi tres continent jus publicum) novem collationes authenticorum, consuetudines fœudorum, quæ collatio decima appellatur; adduntur et hodiè quædam extravagantes quæ collatio undecima solet appellari, & ab istâ congerie, & convolutione variorum librorum hic liber, Volumen, appellatus est[12]. Volumen *enim* significat universi operis collationem multos sub se libros continentem[13].

9 *Barbosa supra ex n. 3. usque ad 7.*

10 *Ex Fr. Bernard. de Britto in monarch. Lusit. lib. 6. t. 2. ad fin.*

11 *Calepin. in verbo codex.*

12 *Sebast. Brant. supra vasc. tertium.*

13 *Barbosa supra n. 6. in fin.*

5 *Quintum leges obelegatiam nominis, vel insignem materiam celebriores; ut puta* l. lecta ff. si cert. pet. l. Gallus de liber. & posth. l. pater Severinam de condit l. Theopompus de dot. præleg. l. si Barbatoram C. de fidejussor. *Et similes*

6 *Sextò leges duæ, tanquam præfationes, seu annotationes*

tiones in principio & fine corporum ſeu voluminum juris à variis doctoribus inſcribuntur ; plures namque revelant curioſitates.

Septimó aliqui numerum legum & paragraphorum enumerant ; ego veró nunquam ita otioſus fui ut hoc facerem ; invenio Ioan. Bapt. Cacialupp. ſic dicentem. Comperi quod in ff. veteri ſunt duo millia, non gentæ, decem & octo leges ; in Infortiato ſunt duo millia, ducenta, triginta quatuor ; In ff. novo, duo millia non gentæ octoginta tres ; & in ſummâ leges ffo rum, videlicet omnium quinquaginta librorum, ſunt octo millia centum ; triginta & quinque [14]. *De aliis non loquitur ;* 7

Octavó velim habeas librum qui, ſingularia Doctorum, nuncupatur, profectó curioſum valde. 8

Nonó (*quamvis* non eſt neceſſaria legiſtæ) [15] *curioſum erit ſtudiſſe philoſophiæ* cum hoc valde conferat ad ſcientiam legalem, & de hoc habemus exempla Joannis, & Jacobi de Ravennâ [16], *& Philoſophorum libri*, tanquam Scripturæ authenticæ in ſtudiis ſervantur ; & iſtis eſt ſtandum ; l. ſi pater de ſolut. [17] l. proponebatur 76. de judic. l. 2. de legib. l. aut facta 16 § Qualitate de pœn. l. 2. de nundin. *& dialecticè loquitur*, l. ſi iſque ducenta § utrum ff. de reb. dub. *Saltem primus dialectica annus utiliſſimus, unde maximè erat laudabilis noſtræ Conimbrecenſis academiæ* (quam & legum nutricem benè quis appellet). [18] *mos qui immeritò in deſuetudinem abiit*, veteri Scævolæ exemplo neminem ad jus civile audiendum admitti, qui non eſſet priùs in dialectiçâ tempore aliquo verſatus [19]. *Dummodo* 9

philoſophi

14 *Cacialup. de modo ſtud. in fin. cap. copilatio juris civilis ante med.*

15 *Neviſan. lib. 5: ſilv. nupt. n. 83. in fin.*

16 *Bald. conſ. 284. in fin. lib. 2.*

17 *Bart. in l. 1, n. 23. ff. ſi cert. pet.*

18 *§ hac autem in proœm. ff.*

19 *Alf. Gutt. Memoros de academ. Hiſp. tit. academ. Conimbr. in tom. Hiſpan. illuſtr.*

philoſophi non utantur in jure terminis philoſophicis; cum quælibet ſcientia habeat diverſa genera loquendi, in tantum quod, proprius modus loquendi in unâ eſt abſurdus in aliâ ut dicit ſpecul. in tit. de advocato §. nunc de exordiis verſ. quid ſi alter & ſunt verba Auguſtini in cap. locutio 38. diſt. & dicit Philoſophus in poſter. unaquæque ſcientia habet ſuas proprias imaginationes, rationes, diſputationes & benè, quia locutiones habent eſſe ſecundùm ſubjectam materiam l. ſi uno C. locat. & ſecundùm Philoſophum 1. Ethic. tunc perfectum enuntiamus cum ſubjectam materiam loquimur, de quo etiam per Bald. in l. data opera circà med. C. qui accuſ. non poſſ.[20]

10 *Decimò ex poetis*, velut pulcherrimis & ſuaviſſimis floſculis, ſtudiis noſtris legalibus non parùm ornamenti cùm in loquendo tum in ſcribendo accedere poterit[21] *citantur* in l. qui venenum 136. de verb. ſign. l. aut facta 16. §. eventus de pœn. princip. Inſt. de donat. §. pretium Inſt. de empt. princip. Inſt. de leg. Aquil. procem. fforum, cap. quemadmodum de jur. jur. l. in tantum 6. §. ult. de rer. diviſ. *ubi* eſt argumentum quod auctoritates Poetarum ſunt in cauſis allegandæ[22]. *De eorum laudibus Caſſaneus*; *ſit ſatis* quòd civitates Græcorum eruditiſſimæ liberos in poeſi imprimis erudiebant, ſolùm poetam ſapientem eſſe dicentes[23].

11 *Undecimò jureconſulti ſint* facundiæ ſtudiis eruditi[24]. *Si advocatus*, *ut* adfluens in defenſionibus copia largè præſtetur[25]. Nihil eſt *enim* tam incredibile quod in dicendo non fiat probabile, nihil tam

20 *Caſſan. in catal. p. 10. conſider. 18. verſic. & primò.*

21 *Matth. Gribald. de meth. ac rat. ſtud. lib. 1. cap. 20.*

22 *Gloſa verbo Virgil. in l. in tantum 6. §. ult. de rer. diviſ.*

23 *Caſſan. ſupra conſider. 45. verſ. quapropter.*

24 *L. per hanc 7. C. advoc. div. judic.*

25 *L. omnes 31. §. in hac. C. de epiſcop. & cler.*

tam horrendum, atque incultum, quod non ſplendeſcat oratione, ait Cic. in paradox. [26] *ſi legiſlator*, videmus conditores legum, quibus nihil penè emunctius, limatius, & ſententioſum magis, adminiculatos fulturis eloquentiæ, leges ſaluberrimas eloquentiſſimaſque condidiſſe [27]. *Si reipublicæ gubernator*, equidem conditores urbium non tam philoſophicâ doctrinâ quàm elegantiâ, oratoriâ, & illicio facundiæ pellexerunt diſpallatos, ſeu diſparatos homines ad civilitatem, politicamque vivendi rationem; undè, ut ait Franciſcus Patrit. lib. 2. tit. 4. de Inſtit. reip. animi medicina eloquentia eſt; quæ philoſophiæ rationibus ad vitia nimium elatos comprimit; depreſſoſque elevat; ignavos fortes efficit; quæ enim alia vis, quàm eloquentiæ, poteſt furentem populum refrenare, aut metu percuſſum excitare [28]? *Sic jureconſulti* legum oratores [29] *vocantur*; & Demoſthenes orator [30] *à Marciano jureconſulto allegatur.*

Alia ſcientia vel artes nihil ad juriſprudentiam proficiunt licet medicorum libri Hipochratis, & ſimilium, tanquam ſcripturæ authenticæ in ſtudiis ſervantur, & iſtis ſtandum eſt; l. ſeptimo de ſtat. homin. [31] l. quæſitum 60. de re jud. l. 1. §. ſciendum de ædilic. edict. *Nec me latet* Bartolum mathemata (quorum uſum ad jus quoque civile in commentariis ſuis induxit) perdiſciſſe [32]. 12

26 *Caſſan. ſup. conſid. 44. in princ.*

27 *Caſſan. ſup. verſ. hinc.*

28 *Caſſan. ſupra.*

29 *§. nos vero in princ. ff.*

30 *l. 2. ff. de legib.*

31 *Bart. in l. 1. n. 23. ff. ſi cert. pet.*

32 *Ioan. Fichardus de vitis juriſconſult. de Bart.*

QUA-

QVALITAS XVI.

Libri.

1 LIbros multos habere expedit[1]. Doctor indiget multis libris, & si fieri posset omnium qui scripserunt, ut ex multis possit elicere veriora[2]; & ideò dicebat Hieronym. in Epist. 40. utinam omnium tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii eruditionis diligentiâ compensarem. Undè dicit Polycratus lib. 11. cap. 1. quod multitudine librorum esse aliquid utilius ad scientiam spiranti facilè non credit; Ad hoc nos etiam provocant exempla maiorum qui multum fuerunt curiosi circà habendos multos libros; quando narrat Aug. lib. 2. quod licet Plato egenus esset pecuniæ, tamen tres libros Pitagorici Philosophi decem millibus denariorum emit; & idem narrat de Aristotele qui emit libros Platonis post mortem suam talentis Atticis tribus, quod est, secundùm nostrum computum, sex tertia & duo millia, & de his in lib. de moribus, vita, & noctibus Philosophorum in tertiâ parte[3].

[1] *Cardin. Tusc. lit. l. concl.* 348.

[2] *Cacialup. de modo stud. docum.* 5. *statim post princ.*

[3] *Oldrad. cons.* 84. *versic. in contrarium.*

2 *Necessarios censeo* eos de quibus vir ille æterni nominis Alciatus judicium hoc elegantissimum tulit.

In

In jure primas comparatus cæteris
Partes habebit Bartolus.
Deciſiones ob frequenteis, actio
Baldum forenſis ſuſtinet.
Non negligenda maximè eſt tironibus
Caſtrenſis explanatio.
Opinionum tutiùs Sepligadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Jaſon, atque lucis nomine
Videndus eſt properantibus.

Unum addendum cenſeo Joannem ab Imola Doctorem irrefragabilem[4]. Quatuor pro conſiliis omninò elegendos cenſeo; duos quidem legum copiâ, & ſermonis brevitate præſtantes, Ancharranum, & Romanum; cæterùm duos opinionum cumulis utiliſſimos, Alexandrum, & Decium; non inficior ſanè Fulgoſii, Cumani, Pauli, Cornei, Aretini Soccini, Curtii ſenioris, & complurium aliorum vota valdè probari, verùm quatuor præſcriptos potiores eſſe conſtabit[4]. *Addo item Azonem, de quo dictum:* Chi non há la ſumma de Azo non entra en palazo, *& Oldradum de quo:* Quien tiene por ſi Oldrado tiene el pleito acabado; *ex modernioribus ſeligo Menochium, Surdum, Meſcardum, Cardinalem Tuſcum verè lucernam juris; Gratianum, & alios, qui celebriores in foro citantur, nunquam verò deſint qui de legibus, ſtatutis, & ſtylis proprii Regni, ſeu civitatis agunt, quia* turpe eſſet patritio, & nobili, & cauſas oranti jus in quo verſaretur ignorare[5].

4 *Mat. Gribald. de meth. ſtudendi, cap. 13.*

Quorum

3 *Quorum verò doctorum libri meliores erunt, (quando omnes habere non possumus) antiquorum, an modernorum?* Concludendum est; quò longius transactum est tempus eò maiorem doctrinam & probitatem argui; nam tempus vorax omnia diluit, & prosternit, nihilque tam durum est quin temporis tractu molliatur, ac minuatur; sed sola veritas tempore non labefactatur ex quo ejus filia nuncupata est, & è contra mendacium, ut dicitur, senescit; unde si nomen, & sententias alicujus Doctoris longo tempore perdurare videmus, absque dubio credere possumus singularem doctrinam in eo viguisse, ac ejus dicta solâ purâque veritate niti; quamobrem antiqui maximæ sunt autoritatis; & quo sunt antiquiores eò sunt maioris autoritatis, & ideò præstantiores modernis pondere, numero, & mensurâ, & hinc est quod opinio antiquorum præfertur opinioni modernorum; Id tamen locum habet quoties sumus in dubio, secus verò quando constaret opinionem recentiorum esse veriorem [6].

5 *L. 2. §. Servius de orig. jure.*

6 *Anton. Mar. Coras. de com. opin. lib. 1. tit. 5. ex n. 8. usque ad 15.*

4 *Scias* quod Doctor non habens libros necessarios non gaudet privilegio Doctoratus [7]. *Sed cum* non satis sit multos libros habere, cum in comparandis sapientiæ instrumentis non numerus, sed usus spectandus sit [8]; *de eorum usu videamus.*

7 *Gratian. For. cap. 186. n. 89.*

8 *Gratian. sup. n. 90.*

I QVA-

QVALITAS XVII.

Hora ſtudii.

SEptem primæ horæ diei ſunt ſtudio, & omnibus artibus magis convenientes quam ſupremæ [1]; *ratio vel eſt quia ſomnus præcedentis noctis humiditat, atque ita eâ in horâ mens* ob innatam humiditatem rebus percipiendis aptiſſimâ [2]; vel (*ſed minus bene*) meminiſſe meliùs ea valemus quæ manè primùm percipimus; quia rem ferme nullam tenemus, cum enim res pleraſque ſcimus non æquè præterea capere alias poſſumus [3]. *Poſt horas primas diei, primæ noctis ſunt magis accommodatæ. Interdiu ſtudere non approbo, & poſt omnem eſum propter valetudinem prohibetur omnino, nec aſſentio dicenti quod* oportet ſiquis vult multum ſcire quod multum ſtudeat de nocte, & ante, & poſt prandium, & millies facere menſam de libris [4]. *De quo in* 20. *Qualitate latiùs.* 1

1 *Rebuf. in l. 2. §. cujuſque de verb. ſign. verſ. imprimis ad fin.*

2 *P. Medoç. in virid. lib. 4. problem. 20. in fin.*

3 *Ariſtot. ſect. 30. problem. 4.*

4 *Ioan. Neviſan. in ſylva nupt. lib. 5. n. 51. in fin.*

QVA-

QVALITAS XVIII.

Quid ſtudendum.

1 LAudo quod tu qui es jam ſolidatus in regulis juris, & reali cognitione terminorum videas totum corpus juris [1], *cum glosâ tantùm, abſque aliis interpretibus qui ſolent* verboſitate ſuâ leges confundere, quemadmodum & antiquioribus temporibus factum eſt, cum per contrarias interpretantium ſententias totum penè jus conturbatum eſt [2]. *Sic* antiqui ſunt eximiæ autoritatis, quia verè erant doctiſſimi, nam ipſi uſi ſunt bonis libris, cum tantummodò viderent textus & gloſas, vel textus ſolùm, & ſic omnia in fonte; hodiè verò cum ſit tanta copia librorum, ut labori parcatur, datur opera libris facilimis, in quorum lectura nihil addiſcitur; undè quemadmodum ex bonis cibis fit bona digeſtio; ita ex bonis libris ſit optima intelligentia, cujus rei habemus inſigne exemplum Alciati, quem ferunt per ſeptennium non vidiſſe niſi gloſam & Bartolum [3].

1 *Cacialup. de modo ſtud. docum 7. verſ. quod ſi diceres poſt princip.*

2 *L. 1. §. noſtram C. de vet. jure enucl.*

3 *Anton. Maria Coreſ. lib 1. de contemplat. cap. 5. n. 12.*

Si tamen commentarios vis adhibere, 2

Juris doctorum (ſi quis mea vota requirat)

Ex totâ his numerus claſſe legendus erit; Bartolus & Baldus, Paulus, Tartagnus, Jaſon, *Tartagn. Alexander.*

Et gemini referens Immola juris opes;
Præterea his alios ſi quis ſuperaddere tentet
Officiet ſtudiis verius ille ſuis [4].

[4] Mat. Gribald. de metb. ſtudendi, lib. 1. cap. 13.

Quoniam multorum librorum & multorum autorum, & omnis generis voluminum aliquid habet vagum, & inſtabile, ut dicit Seneca: nuſquam eſt qui ubique eſt, & vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa habeant hoſpitia, amicitias nullas; nec prodeſt cibus ſumptus qui ſtatim evomitur; nec convaleſcit planta quæ ſæpè transfertur; nihil eſt ita utile quod in tranſitu proſit; & nihil ita impedit ſanitatem ſicut crebra remediorum mutatio; quia non venit ad cicatricem vulnus in quo plura tentantur remedia, & faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare; quia ubi varia ſunt, & diverſa inquinant, & non alunt: de hoc in morali dignitate philoſophorum in fine, & Seneca in Epiſt. 34. Turpe eſt ſeni, aut proſpicienti ſenectutem ex commentario ſapere; idem in lib. de benefic. cap. 3. plus ſolet prodeſſe ſi pauca præcepta teneas; & illa in promptu habeas, quàm ſi multa didiſceris, & illa in promptu non habeas, faſtidientis; & non proficientis eſt omnia circumire [5].

[5] Oldrad. conſ. 84.

Hoc ad ſtudendum; ſed ad componendum, conſulendem, vel judicandum, multa legas facito perlectis, perlege multa; nam, ut ſapiens dicit, vir in multis expertus multa cognoſcit, qui autem non eſt, expertus quid ſit, à quali dicat, nihil; & Hier. in quadam Epiſt. multa in manum recipio, ut à multis

multis multa cognoscam [6], *& in hoc sensu* multos libros habere expedit [7], *ut in 16 Qualitate diximus.*

4 Antonius Gomesius in commentariis variisque resolutionibus juris, sic profectò omnes tres juris partes (scilicet ultimarum voluntatum, contractuum, & delictorum) diligenter, doctè, atque enucleatè pertractavit, ut nullam omninò quæstionem quæ praxi, atque usui forensi inservire queat prætermisisse videatur; cæteras verò intricatas juris commenticii quæstiones, quæ non ad vitæ leges, sed ad meram ac vanam scientiæ ostentationem pertinent; consultò intactas reliquit [8]; non puto esse utilius opusculum, & magis varium; consulat unusquisque sibi ipsi; illum videat autorem, ad cujus cognitionem ingenium ardentiùs excitatur; per cujus emulationem credat meliùs legitimos assequi thesauros [9].

6 *Oldrad. sup. vers. in contrarium.*

7 *Tusc. lit l. concl. 348.*

8 *Eman. Soares a Ribeira in epist. ante comment. ejusdem Gomesii.*

9 *Cacialup. sup. versic. ultimo de Dino.*

QVALITAS XIX.

Modus studendi.

1 QUi die, noctuque torquentur, in vanum laborant nisi Dei gratiam habeant secum coadjutricem [1], *ideo dici debet* oratio Sancti Thomæ de Aquino ante studium, *incipit*; Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ, &c. [2]

2 *Deinde* ad plenam legum interpretationem octo maximè

1 *Cacialup. de modo stud. doctum. 1. in prin.*

2 *Habetur post horas officii Beatæ Mariæ.*

maximè desiderantur, quæ sequenti carmine præstringuntur.

Præmitto, scindo, summo, casumque figuro:
Perlego, do causas, connoto, & objicio.

Hoc est:

Præmitto.

Pro evidentiâ illorum quæ ad subjectæ materiæ declarationem respiciunt semper aliquid præmittendum est:

Scindo.

Secundò; quoniam partitio animum legentis incitat; mentem intelligentis præparat; memoriam artificiosè reformat, & difficultas ex permixtâ traditione procedens per separationem explicatur; lex in partes congruas dividenda est; sic tamen ne dividantur ea quæ simul cohærent; & ad unius perfectionem tendunt, vel ad eundem finem concurrunt; vel dictum à suâ causâ; vel responsum à quæstione propositâ; talia enim, cum sint ratione, & fine individua, pro uno haberi debent; quæ si in partes scinderentur non dividi quidem, sed potiùs destrui viderentur. Divisionem autem commodam recipiunt quæ separatam habent rationem, & diverso fine clauduntur; veluti cum plura dicta in eâdem lege æquè principalia cumulantur; vel plures diversæ facti species terminantur. Proindè tunc solùm utilis divisio censetur, cum separabilium confusio evitatur.

Summo.

Summo.

Tertiò; quoniam brevitas magis delectat, & quæ compendiosè traduntur, cum adiscantur facilius, tum diutiùs retinentur; universa legis sententia in epitomen, sive summam redigenda est.

Casumque figuro.

Quartò; ne ex tali compendio, vel breviori narratione obscuritas fortassis insurgeret, quod sanè legis interpretationi non parùm detraheret; nec leve aliquando discrimen offerret, universa facti species ad unguem recensenda est, casusque totius legis planiùs exponendus.

Perlego.

Quintò; legenda est litera, legisque contextus verbo tenus percurrendus, cum ut facti narratio verbis legis congruere videatur; tum verò si quid fortè inemendatum, vel librariorum incuriâ depravatum invenietur, subtili judicio castigetur.

Do causas.

Sextò; ne vel in casu indubitato vel sine ratione lex facta videatur, causæ tum dubitandi, tum decidendi diligenter pervestigari debent.

Compoto.

Septimò; ne, verbis potiùs, quàm menti inhærentes, legis definitionem ad propositam tantùm speciem restringamus, generales regulas, ac notabilia dicta ex omni ejus parte colligere debemus, casumque decisum ad omnes alios ex similitudine facti, vel rationis, protendere, & subtiliter adaptare.

Et objicio.

Octavò; quò perfecta omninò legis intelligentia habeatur

habeatur, & prorsus nihil dubitationis superſit, contraria, & oppoſitiones in verba & ſententiam ipſius legis excitare debemus[3].

3 Mat. Gribald. de meth. ac rat. ſtud. lib. 1. cap. 14.

Gloſam explica opponendo vel quærendo, & tandem calcula gloſam ſi aliquid habeat notatù dignum, & illud aſſigna[4]. 3

4 Caſialup. ſup. docum. 7. verſ. 1. ad fin.

Doctores legens ſit præcipuè diligens in videndo, & ponderando allegationes quas dabit, nec credat quid dicenti, ſed videat ſuper quo fundetur dictum ſi velit quicquam fructus conſequi; intelligentia enim dictorum ex cauſis eſt ſumenda dicendi, ut eleganter dicit textus in cap. intelligentia de verb. ſign. neque enim ſermoni res, ſed contra rei ſermo ſubjectus eſt, ut in eodem cap. & dictũ doctoris debet intelligi ſecundùm legem quam allegat, ut vult Bart. in l. non ſolum §. ſi liberationis verba ff. de liberat. legat. & D D. ſæpè alibi; undè lege, vel canone non probante id ad quod allegatur, remanet nuda autoritas allegantis & verificatur illud vulgare proverbium collapſa ruunt ſubductis tecta columnis; cap. qualiter & quando 2. de accuſat. & illud, erubeſcimus cum ſine lege loquimur ex hoc autem quod allegationes ſtudioſus diligenter videbit, & excutiet triplicem conſequetur fructum; primò enim certior fiet de veritate allegationis; ſecundò meliùs intelliget quod dicitur; & tertiò, id meliùs memoriæ commendabit, cui conſonat quod in ſimili dicit gloſa reputata ſingularis in §. igitur in prœmio Inſt.[5] 4

5 Everard. in locis arg. leg. in præambula verſ. decimo ad fin.

Denique ſcire leges non hoc eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem[6]; *unde* non dubium 5

6 L. ſcire 17. ff. de legib.

eſt

est in legem committere eum qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem [7]; *quare* veræ interpretationes in explorandâ mente legislatoris consistunt [8].

6 Incivile est nisi totâ lege *vel doctore* perspecto unâ aliquâ particulâ ejus propositâ judicare, vel respondere; quia nonnunquam finis restringit, aut alioquin declarat principium, l. si cum fundus cum suâ glosâ, ff. de verb. sign. posteriora enim aperiunt præcedentia, & à contrario, l. qui filiabus in principio, & l. si servus plurium fin. cum utrobique notatis ff. de legat. 1. & l. quisquis in princip. cum glosâ ff. de legat. 3. & l. non est novum cum duab. leg. seqq. ff. de legib. cum simil. Porrò quemadmodum accidit interdùm ut sequentia declarent præcedentia ita non rarò fit ut posteriora prioribus derogent; l. pacta novissima C. de pact. & l. si mihi §. in legatis ff. de legat. 1. cum simil. in dubio tamen cardo non est separandâ à capite, sed debet lex plura habens capita uniformiter intelligi, cap. maiores junctâ glosâ & ibi Panormit. de baptismo & facit l. jam hoc jure cum suâ materiâ ff. de vulg. & pupill. substit. [10]

7 *Vltimò* ne tot vigiliæ, totque labores intereant (quippè & memoriam hominis labilem esse constat, & nullam ferè disciplinam officium memoriæ magis quàm legalem desiderare) magnoperè enitendum est, ut quod memoriæ viribus effici non potest, solerti id calamo suppleatur; debet itaque *Doctor* cum ex lege aliquâ memorabilem regulam, vel sententiam notaverit, aut ex glosamatis, doctoribusve

[7] *L. non dubium 5. C. de legib.*

[8] *Ex Matth. Gribald. supr. cap. 9.*

[9] *L. in civile ff. de legib.*

[10] *Everard. sup. d. vers. decimo post med.*

ctoribusve enuntiatum aliquod excerpserit, ociter in librum selectum sub congruis locis, ac titulis referre, nec aliorum fidere repertoriis quæ parùm quidem conferunt his qui nullum laborem impenderunt; id tandem firmiter retinemus quod nostro ingenio, ac sudore paravimus. Hoc certo certiùs est, nullum à legibus conditis spectatæ scientiæ virum, aut magni nominis Doctorem suo indice, vel repertorio caruisse [11].

11 *Mat. Gribald. sup. cap. 22.*

Et cum hoc feceris surgas è libris & calcules tecum dicens; ex istâ lege, *ex isto Doctore, & ex isto studio*, in effectu habeo hoc notatu dignum, & illud commenda memoriæ, non de verbo ad verbum, sed sufficit in effectu [12]. 8

12 *Cacialup. sup. d. vers. 1. post med.*

QVALITAS XX.

Quanto tempore quotidiè studendum.

Non assentio dicentibus quod oportet si quis vult multum scire quod multum studeat de nocte, & antè & post prandium, & millies facere mensem de libris [1]; *imò, non defuit* qui propter nimium studium factus esset stultus [2]. *Quapropter* non tantum studeatis quod tristitia aut pectoris dolor vos affligat anxietatibus, recipite requiem & animum ad gaudium revocate [3]. 1

1 *Joan. Nevis. lib. 5. silv. nupt. n. 51. ad fin.*

2 *Nevis. sup. n. 35. post princ.*

3 *Cacialup. de modo stud. docum. 4. ad med.*

Inter pone tuis interdùm gaudia curis [4].

Fertiles

Fertiles campi nisi vacaverint citò fient sterile; ex labore continuo oritur in animis ruditas & imbecillitas; debet vacatio esse sicut somnus qui membra ad laborem fortificat[5]. Hinc Philosophus 8. polit. dixit, laborantem indigere requie; hinc etiam Div. August. secundo musicæ scripsit signanter pro doctis, dum dixit: sapientem decet interdùm animum remittere rebus agendis intentum; hinc etiam Joan. Evangelista quibusdam respondit qui cum scandalisarentur pro eo, quod ipsum ludentem cum discipulis vidissent, mandavit uni ut arcum tenderet, & sagittam traheret, quod cum pluries feciſſet, percunctatus est ipsum, an continuè id facere posset? qui respondit, minimè; idem quoque eventurum in homine, Joan. Evangel. ait, cui animus sæpè numero frangeretur si nunquam à suâ intentione relaxaretur; Hinc est quod Philosophus etiam 4. Ethic. scribit; quod in hujusmodi vitæ conversatione quædam requies habetur pro ludo: & Cicero 1. Offic. ludo & joco uti quidem licet, ut somno, & cæteris quietibus; ita & gravibus, cæterisque rebus satisfecerimus. Hinc etiam Cato, in originibus, clarorum, & magnorum virorum est, ut non minus ocii quam negotii rationem sciant extare oportere; eam ob rem olim apud veteres fuerunt ludi et dies celebres instituti ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur tanquam necessarium laboris temperamentum interponentes[6]. Asinius Pollio orator magnus nunquam ita negotiis se tradidit, quod duas postremas diei horas sibi non reservaret; in quibus nec amicorum

4 *Glosa verbo peragant in prooem. ff. §. tertii.*

5 *Ex Franc. de Fuensalida in tract. de req. anim. cap. 4.*

6 *Estephan. Garsia de ludo §. 2. ex n. 4.*

corum epistolas legebat, ne fortè novarum curarum essent causæ; alij usque ad meridiem laborant, alteramque diei partem rebus mediocribus concedebant [7].

7 Ex Fuensalida sup.

Vnde studium debet se conformare temperato stomacho ut non capiat plus unâ vice quam requirat virtus digestiva, aliàs sequitur indigesta confusio et dicit Salicet. quod sileant qui scripta tantùm discurrunt, et propter frigiditatem stomachi in eis contenta non digerunt [8]. *Ego censeo per duas tantùm vel tres horas sine intermissione studendum; quinimo in his si ingenium recuset cessandum ne studens*, si pergat, sentiat stomachum oneratum et quia fragilis hominum memoria sæpè dum aliud novum quærit aliud jam quæsitum amittit, ut dicere solebat Seneca [9]. *Igitur quia* ingenium supplet tempus [10], *fovendo ingenium surge, & si possibile sit vade ubi campos videas*, ingentes namque vires suscipit animus aperta loca prospiciendo, quæ novos ei tribuunt spiritus [11], *sic* festina lentè [12].

2

8 Nevisan. supr. n. 54. ad fin.

9 Catialup. supra docum. 7. ad med.

10 Glosa verbo devotio in cap. monachus 77. dist.

11 Ex Fuensalida supra.

12 Vulg. proverb.

QVALITAS XXI.

Continuatio studij.

SI quis fortè velit jurisconsultus haberi
Continuet studium [1].
Nulla dies sine lineâ [2]; *quia*,

1

1 Angel. in proœm. Inst.

Vulgare proverbium.

Gutta

Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo [3]. 3 *Vulgare.*

2 Licitum eſt ſtudere & ſcribere diebus feriatis, & erat proverbium antiquorum; qui obſervant feſta malè ſcient codicem, & peius digeſta: An autem doctoribus licitum ſit conſulere diebus feriatis? ponunt canoniſtæ in cap. 1. de feriis & Alberic in l. pen. ff. eodem, & concludunt Joan. Andr. & An. ind. cap. 1. quod doctoribus licitum eſt conſulere diebus feriatis pro forenſibus qui ſunt in hoſpitio; & ſic propter caſum neceſſitatis; debent tamen in recompenſationem facere aliquam elæemoſynam; ut ibi per eos; dicit etiam Albe. in d. l. pen. ſe aliàs habuiſſe Romæ tempore indulgentiæ generalis 1350, quod ad delectationem, & non lucri causâ, quilibet poteſt ſtudere die feriatâ in honorem Dei, & conſulere in cauſis miſerabilium perſonarum, ſed gratis; nam in operibus pietatis dierum diſtinctio non habetur, de conſec. diſt. 5. cap. nunquam, & cap. fin. de fer. [4]. 4 *Iaſ. in l. pen. ff. de feriis, n. 2. & 3.*

3 *Limita tam recreationis causâ ut in præcedenti qualitate, quàm propter anni præcipuas celebritates verbi gratia paſſionis Salvatoris noſtri Ieſus Chriſti; quibus diebus plus oportet orare, quam ſtudere. Adde feſtum ſanctæ virginis Luciæ oculorum tutellaris, quâ die fertur Barbium ab ſtudiis ceſſare conſuevisſe.*

QVALITAS XXII.

Semper, & à quocunque discendum.

SI quis fortè velit jurisconsultus haberi 1
Velit à quocunque doceri [1].

Audiens sapiens sapientior erit [2]; qui diligit disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationes, insipiens est; via stulti recta in oculis ejus, qui autem sapiens est audit consilia [3]. Laudatissimus est is qui cuncta videbit, sed laudandus est is qui paret recta monenti [4]; sapientem esse dicunt eum, cui quod opus sit ipsi venit in mentem; proximè accedere illum qui alterius benè inventis obtemperet [5]. *At* verus ignorans est qui nunquam interrogat, & ita nunquam scit, discite ergo nam qui non discit odit sapientiam, & odium sapientiæ est vera ignorantia, ne vos pudeat interrogare; dum enim interrogatis vultis scire; scitis verò dum scire desideratis; qui autem ob pudorem non interrogat, auream scientiæ cupiditatem operit sacco ignorantiæ [6]. Multi ad culmen scientiæ pervenissent, nisi se jam pervenisse putassent [7].

Pulchrum est etiam senem sapientiæ studere [8]: 2
cum in nemine tam fœda sit ignorantia quantum in senibus, & minus est culpabile mori discendo quam ignorando; Socrati multi objiciebant: non

te

1 *Angel. in proœm. Inst.*

2 *Proverb. 1.*

3 *Proverb. 12. vers. 1. & 15.*

4 *Hesiod. oper. 1.*

5 *Cicer. pro Cluent.*

6 *Ex doctrina Princip. Franc. de Gurmendi, cap. 2.*

7 *Senec. de tranquilit. animi.*

8 *Aschil. relatus ab Hier. de Huerta in problemat. philosophicis in prologo ad lector.*

te pudet adiscere post tantos annos? & respondebat: plus me puderet post tantos annos ignorare. Ingens est labor studere, sed maior requies scire; ideò est minus inconveniens tollerare molestiam studii, quam laborem ignorantiæ [9]. Nullus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis à parvulis, vel minimis eruditis, si quid fortè est utilitatis, aut salutis inquirere negligat; qui enim rebelliter vivit, & discere aut agere bona recusat, magis Diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur, & potiùs infidelis, quam fidelis monstratur [10]; *unde Augustinus* en adsum senex à juvene coëpiscopo, & Episcopus tot annorum à collegâ nec dum anniculo paratus sum discere quomodo vel Deo, vel hominibus justam possumus reddere rationem [11], *& Pomponius* ego discendi cupiditate quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum ejus sententiæ: & si alterum pedem in tumulo haberem non pigeret, aliquid addiscere [12]; juxtáque hanc sententiam est quod M. Cicero de senectute inducit Solonem in versibus gloriantem, qui se quotidiè aliquid addiscentem senem fieri diceret [13]. *Et* Alphonsus Aragonius Siciliæ Rex jam quinquagenarius præceptori tamen se submisit [14], unde Seneca nulla ætas sera est ad discendum [15].

3 Item maiores tenentur sequi exempla minorum si bona sunt [16], stultus est enim qui in eo se primum existimat ut bona quæ viderit discere contemnat [17].

9 *Ex doctrina princip. d. cap. 2.*

10 *Cap. nullum 38. dist.*

11 *Cap. si habes 24. q. 3.*

12 *L. apud Iulianum 20. ff. de fidei com libert.*

13 *Glosa margin. d. l. apud Iulianum.*

14 *Ruvis. Text. in officina tit. laboriosi, & Variar. art. perit. n. 11.*

15 *Seneca relatus a glosa ind. cap. nullum.*

16 *Glosa verbo discere in cap. 4. dist. 22.*

17 *Cap 4. dist. 22.*

QVA-

QVALITAS XXIII.

Modus utendi ſcientiâ.

CVm ſcire in legali ſcientiâ non ſit propter ſcire ſed propter operari, & rem ad praxim reducere nihil aliud ſit quam de arbore fructum colligere [1], *quomodò ſcientiâ utendum videamus; & quia eâ utimur vel in noſmetipſos gubernando, vel in loquendo, vel in libris componendis; vel in docendo; vel in conſulendo; vel in judicando, aut alio modo republicâ gubernandâ, ſigillatim horum generaliora præcepta proponamus.* 1

1 *Gratian. diſcept. tom. 1. cap. 186. n. 11.*

In nos metipſos gubernando.

Qui doces quod juris præcepta ſunt, honeſtè vivere alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere [2], qui alium doces te ipſum doce in quo enim judicas alterum te ipſum condemnas [3]; medice, cura te ipſum [4]; juſtitiam cole, æquum ab iniquo ſeparans licitum ab illicito diſcernens [5]; ego, quoniam ſiquis à me quærat, utrum rectè fiat? quid ei reſpondeam non invenio, nunquam hoc facere auſus ſum [6]. 2

2 *§. ult. inſt. de juſt. & jure.*

3 *Div. Paul. ad Rom. 2.*

4 *Luc. 4.*

5 *Ex l. 1. ff. de juſt. & jure.*

6 *Cap. ſi habes 24. q. 3.*

In loquendo.

Primò ſi de alienâ ſcientiâ loquaris; eruditionis oſtendendæ gratiâ, ſolùm facias (ut in 12 Qualitate diximus) ſubjectus tamen illius profeſſoribus; nec alios 3

docere

docere velis, nisi irrideri cupias ut Persianus Megabisus qui, dum coram Apelle pictore maximo de picturâ fidenter loqueretur, ita ab Apelle fuit reprehensus; ego sanè, ô Megabise, te prudentem judicabam, quia taciturnitas multum ornabat pretiosa tua vestimenta; nunc autem contra video, & etiam hi pueri colorum molitores te illudunt[7]; *sic* Phormio Peripateticæ sectæ Philosophus cum apud Anibalem aliquot horas de officio Imperatoris, deque omni re militari copiosissimè deseruisset, interrogatus Anibal quid de eo sentiret? respondit, multos se deliros senes vidisse, sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidisse, neminem[8].

4 *Secundò*, *adhuc in propriâ scientiâ* nolit verbosus esse; *ut* in 9 Qualit. n. 10. sed debet concludivè loqui pauca & utilia effundere[9].

5 *Tertiò* ne te colaudes[10]; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt[11], & laus in ore proprio vilescit[12], laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua[13].

6 *Quartò audias prius quam respondeas*; *nam* qui prius respondet, quàm audiat stultum se esse demonstrat, & confusionem lignum[14].

7 *Quintò* coram sapientibus velis potiùs audire quàm loqui[15].

8 *Sextò*, Contra verbosos noli contendere verbis. *Nam*,

Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

9 *Septimò*, inter ignaros de sublimibus ne loquaris[16].

7 *Ex Francisco de Fuensalida in regnic. anim. cap. 7.*

8 *Conrad. Gesner. in Onomastico propr. nom. verbo, Phormio.*

9 *Put. de Sindicatu rubr. notor. jud. cap. 2. n. 4.*

10 *Cato relatus a Rofred. 2. quæst Sabbat. n. 3.*

11 *Div. Paul. 1. ad Rom.*

12 *Seneca.*

13 *Proverb. 27.*

14 *Proverb. 18.*

15 *Ex doctrina principum apud Guevaedi, cap. 12. fol. mihi 8. ad fin.*

16 *Ex Epicteto apud Franc. de Quevedo, cap. 51. in princip.*

In componendo.

Primò caveant ea quæ jam per orata ſunt iterum reſuſcitare, ſed hæc ſola inſcribere quæ compendiosâ narratione cauſas poſſunt explanare vel aliquid novi continent, vel addere quod derelictum eſt [17]; nam recentes ſemper & floridos ſapientiæ fructus debent addere [18]; Hodiè autem jam eò perventum eſt, ut cum legem aliquam interpretandam aſſumimus niſi illam pleno ſtylo, & ſolenni (ut inquiunt, apparatu tractamus extraneas etiam materias inſerendo, & pervagatas doctorum opiniones cumulando, officio noſtro ſatisfeciſſe minimè videamur; hinc prolixa, & infinita deciſionum volumina; hinc confuſa jurium conturbatio ut nulla jam lex, nullum reſponſum ſuam retineat puritatem, quotus enim quiſque eſt pretium operæ maximum non ſe feciſſe arbitratur, ſi ab aliis inventa, vel alio loco tractata in horreum ſuum non congerat, & (ut in adagio eſt) ex alienis agris herbarum omnium faſciculum proferat; nec tantiſper labore ſuo finem præſcribit donec numeroſæ chartæ alienis impletæ virgultis in grande vomen exurgant; At quàm commodius foret probo, & docto viro breves, atque utiles edere commentarios; in illiſque non ſupervacuũ laborem impendere; ſed ingenii ſui vires excutere, & tum ex verbis, tum ex mente legis aureas ſententias, & memorabilia dicta in commune bonum proferre! quippè nulla inter homines adeò rara & difficilis facti ſpecies emergeret, quæ hujuſmodi ſententiis non poſſet vel rectiſſimè definiri [19]; *neque in me, lector in-*

ſurgat:

17 *L. fin. §. in refutatoriis C. de appellat.*

18 *Ex Caſſan. in catal. p. 10. conſid. 28. in verſ. 1.*

19 *Mat. Gribald. de rat. ſtud. lib. 1. cap. 9.*

surgat: in quo judicas alterum teipsum condemnas[20]; *si nanque opusculum hoc componis non tuis* sed veterum monitis, imò & verbis[21]; quid agis nisi ea quæ jam perorata sunt iterum resuscitare[22]? *respondi jam in prologo, ubi vide.*

11 *Secundò* refert Bald. Perusinus, Bartolum semper tenuisse opiniones placentes Laicis; hoc est, ut ego intelligo, quæ semper sensui, & intellectui communi accesserint, quod opinionibus suis multum honoris conciliaverit[23]; *in hoc tamen neminì persuadeo, quod semper aliorum opiniones sequatur*; *imò* non credat quid dicenti, sed videat super quo fundetur dictum, intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda[24], *de quo* in Qualit. 19 n. 4. *& minus laudabilis fuit*, Ateius Capito, qui in iis quæ ei tradita fuerant perseverabat, *quàm* Labeo, qui ingenii qualitate, & fiduciâ doctrinæ, qui præ cæteris sapientiæ operam dederat, plurima innovare instituit[25]. *Sed* inter utrumque volâ[26] *prudenti cum moderamine*.

12 *Tertiò* maximè abstineat *scribis* à facili reprehensione aliorũ juxtà consilium Salomonis Prov. 18. & Eccles. 11. & transumptivè in cap. eorum 11, quæst. 3. de qua re vi de quæ eleganter scribit Hostiens. in princip. suæ aureæ summæ, ubi ponit decem temerariæ reprehensionis modos[27].

Præcipuè à reprehensione magistri; convenit præceptorem honorare, observare, colere amare ut genitorem; non superbiat ille discipulus cui aliquando contigerit aliquid scire doctori ignotum. Nam in hoc latissimo prato juris civilis bos herbam,

20 *Div. Raul. 2. ad Roman.*

21 *Iust. Lipsi. in polit. lib. 1. cap. 1.*

22 *D. l. fin §. in refutatoriis, C. de appellat.*

23 *Ioan. Fichard. in vitâ Iurisc. de Bartolo.*

24 *Everard. in fin præamb. ad loc. argum.*

25 *L. 2. §. post hunc ff. de orig. jur.*

26 *Ovid. Metam. lib. 8. fab. 3.*

27 *Everard. supr.*

bam,

bam, canis leporem, Ciconiaque lacertam invenire poteſt. Ut in ſimili dicit Seneca, Epiſt. 108. præterea omnia intelligere, & omnium habere memoriam divinitatis eſt potiùs quàm humanitatis, ut l. 1. §. ſi quid autem C. de vet. jure enucl. [28], *& ut cunque ſit* non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum [29]; conetur præceptoris opiniones defendere quantum poteſt, exemplo Caſſii juriſconſulti; ut habetur in l. qualem verſic. Caſſius ff. de arbitr. cum ſimil. [30], *nam diſcipulus etiam ex magiſtro honoratur, ſicque* Accurtius laudatur diſcipulus dignus Azone magiſtro [31], *timeat quod de Ariſtotele notatur*, cui, quia, ingratus, ſui magiſtri Platonis quantum in ſe fuit opiniones impugnavit, terra ad ſepulturam defuit, & in Euripi aquis ſubmerſus obiit; apud Indos lex viguit uſu vetuſtiſſimo roborata per quam diſcipulus præceptori ingratus, publico ſignabatur ferro pro infamiâ, nec Gymnoſophiſtarum academiam intrare poterat niſi cicutæ faſciculum ad collum traheret, fœtoris ſuæ ingratitudinis inditum [32]; et propterea opinio præceptoris quando eſt famoſus Doctor excuſat judicem à ſindicatu, qui pro eâ contra communem judicavit. Prædicta vera, niſi talis præceptor eſſet imperitus matheſeôs, vel una vacheta; vel aſinus plumbeus; ſeu caſtra porcella, vel una beſtia humanina; vel aſinus ſine bardis, qui tantùm intelligit curiam ſicut mula, vel qui comediſſet nimias fabas; vel guſtaſſet parùm de brodio juris, vel de graſſeto; vel groſſi capitis; vel de ſecretariis Juſtiniani, ideſt groſſis, et neſcientibus

28 *Cacialup. de mod. ſtud. Doctor. 3.*

29 *Matth. 10.*

30 *Everard. ſupr.*

31 *Ex Tiraq. in l. ſi unquam verbo, totum, n. 4.*

32 *Ex Thom. Garçon. in ſing. ignor. cap. 9.*

entibus unam legem; vel qui non intelligit quid loquatur; vel qui in legibus claris obscuritatem inducit[33]. *Loquimur de illo de quo infra, ex n. 16.* Quod si non potest præceptoris opiniones defendere ex errore manifesto, veritatem præponet, & honorabit eam; nam, ambobus existentibus amicis, sanctius est honorare veritatem, ut inquit Philosophus, 1. Ethic.[34].

Quod à fortiori de Bartolo tanquam magistro omnium in jure civili[35]; & dicit Bolog. in repet. auth. habita col. 35. quod ipse non audet reprehendere tantùm Doctorem, prout est Bartolus, & potiùs vult dicere quod ipse non intelligit, vel quod liber est corruptus; & Pich. in l. in quartam col. 93. quod maiores nostri adeò semper timuerunt fundamenta Bartoli, quod semper trepidanti animo complexi fuerunt in illo articulo sententiam Baldi[36].

13 *Quartò* semper sibi persuadere debet quod legis condendæ autoritas sibi data non est; sed quod autoritas ejus qui Doctoris insigne adeptus est, duntaxat probabilis est, non necessaria[37]; *non sicut* Barbatia qui erat jactabundus, & temerarius, & studio impugnandi communes opiniones sæpissimè deliravit, credens eâ viâ facere se immortalem; & Baldus emulatione Bartoli tantùm subtilisavit, quod seipsum fregit; & de Barbatiâ idem, & plura alia dicit Calcan. cons. 1. arguens eum de pompâ; & Joan. Pyrrhus de donat. conjug. charta 2. dicit eum gloriosum, solet enim gustui displicere fumum olens[38].

33 *Nevisan. lib. 5. sitvæ nupt. n. 3.*

34 *Cacialup. sup.*

35 *Angel. in §. fin. Inst. de pupil. subst. col. 3.*

36 *Nevisan. sup. n. 25. post med.*

37 *Everard. supra in fin. præamb. ad loc. arg.*

38 *Nevisan. supr. n. 28. in fine.*

Quintò, nolit verboſus eſſe [39], *nec* verboſos commentarios facere [40]; quia ſtultus verba multiplicat [41]. 14

Omnia longa ſolent cunctis faſtidia ferre
Quæ comprehenſa ſunt benè culta placent [42].

Satietas inimica eſt auribus, quemadmodum cibus ſuperfluus corporibus [43]; brevis ſermo & auditur libentiùs, & attentiùs, & meliùs memoriæ commendatur [44], *brevis*

Sis licet uſque malus non odioſus eris [45].

Ex quibus gaudent brevitate moderni [46]: & non ſiquis multa dixerit admiratione dignus erit, ſed potiùs qui pauca pronuntiaverit ſi fuerint utilia [47]; *ſic* non multis verbis pauca comprehendas, ſed paucis multa [48]; *fatebimur* artificia eſſe, rorum comprehendere ſub exiguo [49]. *Neramen* obſcurus fias dum brevis eſſe laboras [50]; quia verba obſcura debent evitari tanquam ſcopulus [51]. *At Gloſa* aliquando loquitur obſcurè propter altitudinem intellectus, ne nimiâ facilitate rederet difficultates legales communes cum idiotis; *nam* myſteria ſecretiora, altiſſima divinitatis arcana plebi palam facere quid erat aliud, quam dare ſanctum canibus, & inter porcos ſpargere margaritas? hinc invehitur Uldarichus Zazius in l. 2. de orig. jur. contrà traducentes jus civile in vulgari. Etiam Bartolus aliquando loquitur Teutonicè, id eſt obſcurè, &

39 Eccleſiaſtici 7.
40 L. 1. ff. de orig. jur.
41 Eccleſiaſtes 10.
42 Refert. Caſſan. in præfat. cathalo.
43 Gregor. Nazianzen. in ſanct. lavacr.
44 Origin. ſup. lib. judic. homil 6.
45 Martial. lib. 2. epigram. 1.
46 Gloſa verbo, cauſa, in l. 1. ff. quod met. cauſa.
47 Philonid. relatus ab Hier. de Hureta in prologo ad problem. philoſ.
48 Pytagoras.
49 Senec. epiſt. 38.
50 Horat. in poet.
51 Nevizan. ſap. n. 39.

& hoc faciunt etiam juriſconſulti [52]: *ſic tu fac ſi altitudo materiæ petat, & cum dicat aliquis*, ſi non vis intelligi, nec ego volo te intelligere [53]; *reſpondeo*, intelligentibus leges loquuntur, nam homines groſſi capitis non intelligunt ſubtilia [54]; incapaces aures non capiunt quæ ſunt de apicibus juris, quia de ſubtilibus, & ſpeculativis non guſtat aſinus [55]. *Sed regulariter* proprium legis nihil magis eſt quàm claritas, & obſcuritatem in legibus damnat Sanctus Auguſtinus; *idcò* obſcurè loquentes malè faciunt, & Fortun, item Barbat. invehunt contrà Doctores qui dederunt ſemper nobis doctrinas obſcuras; & Seneca Epiſt. 84. dicit quod ambiguitas verbi quærit locum fraudi, quod faciendum non eſt ubi veritas quæritur [56]. *Unde* lex vel ſtatutum quando eſt ambiguum non meretur, aut poteſt allegari ad deciſionem cauſarum [57]; *de quo infra n. 36. in princ. illos condemna qui* Bartolum, Baldum, & Paulum citant ad id confirmandum quod expreſsâ, atque eleganti juriſconſultorum ſententiâ comprobatur [58].

15 *Sextò*, illud memorabile eſt quod traditur, Bartolum toto quinquennio in repetitione legis de ætate ff. de minor. abſolvendâ elaboraſſe; quem Bartoli morem utinam qui hac ætate commentantur ex aliquâ parte imitari dignarentur; pauciores haberemus libros, ſed utique meliores, expoſitioreſque [59]; quæ ad perpetuam memoriam fiunt diligenter proſpicienda ſunt, maximè ubi ſunt poſteris profutura [60].

52 *Neviſan. ſupra n. 33.*

53 *Neviſan. n. 34. in fine.*

54 *Bald. conſ. 143. alias 144. punctus n. 5. volum. 2. alias conſ. 477. vol 4*

55 *Neviſan. ſup. n. 39. ante med.*

56 *Neviſan. n. 33. ad fin. & 34. poſt med.*

57 *Ex Jaſ. in l. admonendi, n. 67. & 68. de jurejur. & in l. cum prolatis, n. 15. de re judic.*

58 *Mat. Gribald. de cap. 9. poſt princip.*

59 *Ioan. Fichard. in vitâ juriſc. it. de Bart.*

60 *Specul. 1. p. tit. de offic. omnium judic. in princ.*

In

In docendo.

Primò, qui alium doces teipsum doce[61]; *ut supra* 16
n.2. cum sit in civile eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutellam, vel curam subire[62].

Secundò, verba obscura debent evitari tanquam 17
scopulus, est enim tunc signum quod magistri seipsos non intelligunt, & ideò coguntur obscurè loqui, & inordinatè; signum benè intelligentis est scire benè docere; sermo obscurus solùm placeat idiotis, *qui* credunt talem obscuritatem causari ex imbecillitate sui ingenii, non ex ignorantiâ docentis[63]. Bonus Doctor vulgi more loquatur ut ambiguitates, obscuritatesque vitet; non sic dicat ut à doctis, sed ab indoctis dici solet; quid enim prodest subtilitas eloquentis, quam non assequitur intellectus audientis[64]?

Tertiò, non magis curet se ostendere, quâm 18
scholaribus prodesse; quia nobilitatur magister per scholares, pater per filium, præses per subditos[65]; *faciat ut jure* [illegible] nunquam fastum legendi, aut docendi [illegible] exquisivi; sed semper sui hujus desiderii, & propositi cum cathedram ascendam placere summo Creatori; quia scientia non ad delectationem hominum, sed ad Dei laudem prædicanda [illegible] legendo utilitatem audientium summo desiderio quærere, veras conclusiones referendo quantò vires ingenii suppetunt: In docendo delectetur non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis[66].

61 *Div. Paul. ad Roman. 2.*

62 *§. item maior Inst. de excus. tut.*

63 *Nevisan. sup. n.39.*

64 *Afflict. de jure protom. in præfat. n.4.*

65 *Nevisan. d. n. 39. ante med. & 42. in princ.*

66 *Afflict. sup. n. 3. & 4.*

Cavendum

Cavendum ab illis qui putant ſummam ingenii laudem eſſe non vera explicare, ſed bonas, utiles, ac receptas aliorum ſententias petulanter evertere, quaſi ipſos pudeat uſquam cum quoquam conſentire; quia turpe ſibi exiſtimant homines plus ſatis ambitioſi quæ recta, & ſimplicia ſunt, quia nimiùm ſunt vulgaria, & facilia, ſequi; quibus præſtigiis (Dii boni!) & commentis veritatem obruunt, quo aliquid paulò argutius nec ab aliis antè excogitatum in medium adduxiſſe videantur. Itaque de hujuſmodi Doctoribus illud verè dici poteſt quod Antonius apud Ciceronem de Philoſophis ſcribit: ipſi ſe compungunt ſuis acuminibus, & multa quærendo reperiunt non modo ea quæ jam non poſſint ipſi diſſolvere, ſed etiam quibus antè exorta, & potiùs detexta propè retexantur [67].

67 *Franc. Duaren. in epiſt. de rat. docendi mihi in 1. vol tract.*

19 *Quartò damnaretur* qui non eſſet lector, ſed prædicator, vel cantor; iſta enim ita lectorem dedecent, ſicut prædicatori legere quandò eſt in pulpito [68].

68 *Neviſan. ſup. n. 41.*

20 *Quintò (ut totum comprehendamus)* illuſtris Doctor Martin. de fano in Epiſtolâ quam fecit de modo ſtudendi, dicit, quærendum eſſe de Doctore, ſi qualia docere oportet doceat; ſi libenter ad interrogata reſpondeat, & ſi reſpondendo dubitationes de pectore quærentis evellat; ſi patitur rationabiliter contradici; ſi cauſam rationabilem ſuis dictis adjungit; ſi videatur quod aſſerit de fonte vel ſcripturæ, vel æquitatis, ubi juſtitia deficit, provenire. Itemque quærendum an ſit ſatis ſufficiens; an vim habeat impreſſivam, ut exemplis intelligi-

bilibus instruat quod ostendit; nec sit in suâ lectione pomposus, sed potiùs utilis, & fidelis, & plus veritati, quam truffis & ornamento verborum inhærens [69]: *breviúsque ait Imperator*, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverit, si docendi peritiam, facundiam docendi, interpretandi subtilitatem, copiamque differendi se habere patefecerit [70]. *Tandem* ut præclarè inquit Cicero non solùm aliquid scire, artis est, sed est quædam ars etiam docendi; in quâ Servium Sulpitium valdè exercitatum fuisse, ideóque cæteris excelluisse Jureconsultis idem autor est [71].

69 *Cacialup. de modo stud. docum. 2.*

70 *L. 1. c. de profess. qui in urbe Constant. li. 12.*

71 *Franc. Duarem. supra.*

In consulendo.

Primò firmandum est factum [72]: ex quo jus oritur l. si ex plagis §. in clivo ff. ad leg. Aquil; quod necessarium est, ne videamur aliquid terminare antequam termini quæstionis intelligantur, juxtà l. Domitius Labeo ff. de testam. l. ut responsum C. de transact. & modum traditum per Angel. in cons. 100. [73]. 21

72 *Ex Gregor. Lop. Madera in fin. prologi ad excell. mon. Hisp.*

73 *Roland. cons. 1. a princ. vol. 3.*

Secundò (quamvis in foro causas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videatur esse, nullâ præfatione factâ judici rem exponere [74]) *consulendum est* omissâ prolixitate verborum sapientibus inimicâ, quæ (ut utar verbis Senecæ) fastidiunt stomachum; & calcando vestigia subtilis Aretini dicentis in cons. 6. in princ. benè consulentem debere respondere ad rem sine verborum multiloquio, sine truffis, & generalibus quæ solent apponi ornatus causâ [75], *de quo supra n. 14.* 22

74 *L. 1. ff. de orig. jur.*

75 *Roland. sup. n. 3, & 4.*

Tertiò ante factum eligere semper debemus illam 23

lam opinionem quæ tutior eſt; poſt factum verò fieri debet interpretatio per quam *defendatur* [76]. *Nam* faciliùs conſervatur quod factum eſt, quàm de novo aliquid fiat, l. patre furioſo ff. de his qui ſunt ſui [77]; *unde dictum:* multa antè factum conſulimus, quæ poſt factum ſuſtinemus.

24 *Quartò* non debemus recurrere ad generalia cum ſint faciliora, ſed ad ſingularia, tanquam magis vera, licet difficiliora, ſecundùm Philoſophum 2. Ethic. cum etiam ſit reſpondendum de jure per ſpeciales deciſiones, non per regulas generales more pauperum Doctorum; imò non eſt ſtandum iſtis generalibus quæ non ſunt apicicatoria, neque concludunt ſubtilibus viris, ſed groſſis [78]. Proinde theoricæ generales non illuminant intellectum practicum, qui debet eſſe de rebus ſingularibus [79]. *Sed quia* non poſſunt omnes articuli ſigillatim aut legibus, aut Senatuſconſultis comprehendi, *tunc* ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet [80].

25 *Quintò* brevis eſſe laboret [81]; *ut ſupra n.* 14. *ſed in dubio* meliùs eſt plus probare aliquid quàm neneceſſe eſt; quàm minus forſitàm quàm negotio debeatur [82].

25 *Sextò, ſciant advocati quod* iſta officia debent exerceri ad dilucidationem juſtitiæ, non ad ſubverſionem veritatis; ideò meminerint omnes ſe continere intrà metas ſuæ vocationis, ne, contra veniendo ſuis officiis, & ſtudiis [83], *de illis dicat Bernardus:* miror quemadmodum aures divinæ poſſint hujuſmodi diſputationes advocatorum, & pugnas verborum audire; Corrige, Deus, pravum morem,

76 *Surd. deciſ. 58. n. 3. verſic: quæ ſententia, lib. 1.*

77 *Surd. deciſ. 60. n. 5. lib. 1.*

78 *Gratian. diſcept. tomo 2. cap. 335. ex n. 19.*

79 *Mantica de tacit. lib. 4. tit. 1. n. 2.*

80 *L. non poſſunt 12. ff. de legib.*

81 *Horat. in poet.*

82 *Salvian de vero judic. lib. 1. poſt med. verſic. quamvis.*

83 *Gratian. diſcept. tom. 1. cap. 186. n. 54. 56. & 57.*

rem, præcide linguas vaniloquas; labia dolosa claude; hi sunt qui linguas suas docuerunt loqui mendacium, discreti adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum; hi sunt qui instruunt à quibus fuerant instruendi; astruunt non comperta, sed suas struunt calumnias innocentiæ, destruunt veritatis simplicitatem, & construunt judicis vias [84]. Olim vocabantur moratores, obturbatores, sordidi, quorum caninam facundiam appellabant; rabulæ, vel quòd sint parati ad radendum quid, auferendumque; vel à radendis auribus, quod rodant, & offendant aures, & nimiâ verbositate feriant. Unde vulgatum illud: nulla causa adeò mala quam peritus advocatus non possit bonam facere, multum redarguendum est, cum non detur in jure ista peritia quâ patronus hoc possit facere. Hinc Apuleius tales vocat Vulturios togatos, ut quibus sanguinariâ rapacitate homines excarnificare frequentissimi sit moris, ita ut concessum eis sit in medio fori latrocinium [85].

Sed cum hi qui circà lites morantur piam dispositionem in suâ naturâ remanere minimè concesserint, invenientes machinationem [86], occasionem facientes suarum calumniarum [87]; qui habet jus in principali, cavillationes, & malitias adversarii potest per alias repellere [88]; dicas *ergo* de advocato quod si habet justam causam potest licitè decipere adversarium suum [89]; nec videbitur dolo fecisse cum fraudem excluserit [90]; & hæc quoque procedere in foro conscientiæ [91]; *temperandum tamen*

84 *Div. Bernard. in lib. de considerat.*

85 *Gratiau. sup. ex n. 59.*

86 *L. ab Anastasio 23. C. mandati.*

87 *Auth. de exhib. reis §. illud quoque collat. 5.*

88 *Glos. verbo, malignantium, in cap. cupientes 16. de elect. in 6.*

89 *Glos. verbo, insidiis in cap. Dominus 23. quæst. 2*

90 *L. cum pater 77. §. Titio in fine ff. de legat. 2.*

91 *Liraq. de retract. in præfat. n. 71. ad fin.*

men sic, advocatum justam causam tractantem non temerè cautelis, ac malitiis caviliſque uti debere, nec poteſt; id enim indecens eſt bono viro; ſed tunc demùm arte quapiam decipere adverſarium juſtè ei licere, cum id neceſſarium eſſe duxerit ad alterius cavillationes tutè effugiendas, vel victoriam in lite conſequendam; modò nec etiam adverſus alterius cavillationes falſitate, vel mendacio utatur, cum hoc etiam ad mortem evitandam nequaquam licitum ſit; peccat igitur advocatus qui in judicio, etiam contrà adverſarii cavillationes, judicem, vel eundem adverſarium mendacio, aut falſitate decipit [92]; quæ opinio eſt verior, & communior, & tenenda, licet contraria (de quo doleo) magis uſitetur [93].

92 *Cov. I. var. cap. 2. n. 1.*

93 *Cevallos commun. quæſt. 361. in fine.*

27 *Septimò advocatus* circà tria exhibeat ſe maturum, ut ſic ex ingenio ſuo augeat ſapientiam; videlicet in vultu, in geſtu, & voce; in vultu, ut vultum affabilem, jucundum, & benignum judici, ac aſtantibus oſtendat; abſque riſu tamen indiſcreto. In geſtu; ut caput, vel pedes non ducat indebitè, ſed cuncta membra debitâ maturitate regat, juxtà illud: officium teneant lingua, pedeſque manus; ac etiam oculus; & gravitatem quo ad omnia, & mentis maturitatem oſtendat. In voce, ut eam non plus debito deprimat, vel exaltet, & breviter, non ſit vagus oculis; non effrenatâ linguâ; aut petulantiâ; ſtudioſoque geſtu incedat; ſed pudorem, ac verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſoque oſtendat. Obſcenitatem etiam membrorum, & verborum, ſicut & operum penitùs execretur.

tur[94]. *Vide alia ſuprà Qualit.13. n.5. verſic. item advocati.*

94 *Specul.l. p. tit. de advocato. §. hic dicendum, n.6. & 7.*

Prævaricator eſt infidelis, quia prodit clientu- 28
los ſuos; & ultrà latrocinium peccat qui clientulum pro viribus non defendit[95].

95 *Specul. ſupra §. objicitur, n.13.*

In judicando.

Primò noli quærere fieri judex niſi valeas virtute 29
irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tuâ[96].

96 *Proverb.7. verſ.6.*

Secundò obſervandum eſt jus redenti, ut in ade- 30
undo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur; undè mandatis adjicitur ne præſides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant; nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed & in cognoſcendo, neque ſcandeſcere adverſus eos quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illachrymari oportet; id enim non eſt conſtantis, & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit; & ſummatim ita jus reddi debet, ut autoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat[97].

97 *L. obſervandum 19 ff. de offic. præſidis.*

Tertiò ſtudendum eſt *judicibus* ut diſſidentes ad 31
pacem magis, quam ad judicium coerceant[98]; *non* ubi jus eſt clarum, vel factum apertum, ſed ubi dubium eſt[99]; *&* exceptis caſibus qui compoſitionis remedium non admittunt, ut pote conjugii Sacramentum[100]; *&* in criminalibus, quia in eis non debet judex ſtudere ad reconciliationem; quin imò ſi antè punitionem delicti, & antè ſolutionem pœnæ cogit offenſum ad pacem cum delinquente, tenetur in ſindicatu; *ſed* poſt condemnationem, & ſolutionem

98 *Cap. ſtudendum 7. diſt. 91.*

99 *Touſc. lit. I. concl 382. n.5.*

100 *Cap. fin. de tranſact.*

ſolutionem poteſt cogere ad pacem quando reſpublica inquietaretur, & inimicitia eſſet ſcandaloſa; *ſicut* poteſt compellere partes ad compromittendum, quando videt per viam judicii, vel ſententiæ non poſſe benè ſedari diſcordiam inter partes, & quod ſit oriturum inter eas ſcandalum, prout frequenter contingit [101].

33 *Quartò* cordi *judicibus ſit* lites minuere, & à laboribus relevare ſubjectos [102]; finem litibus cupientes imponi [103]; amputent dillationum materiam, litem quantum poterint faciant breviorem; exceptiones, appellationes dillatorias, & fruſtratorias repellendo; partium advocatorum, & procuratorum contentiones, & jurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrenando [104], ne lites fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant, (nam ſi ipſi judices noluerint nullus tam audax invenitur qui poſſit invito judice litem protelare [105],) *hoc in civilibus*, ut litigantes releventur à laboribus, & expenſis [106]; *in criminalibus*, ne convictis criminoſiſſimis ſpatium temporis pateat malignis artibus tam præſidum, quàm officialium pœnas evitandi, ultio defferenda non eſt [107].

Non ſic tamen judex litem abbreviet quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimæ admittantur [108]. Appellatione interpoſitâ, ſive ea recepta ſit, ſive non, medio tempore nihil novari oportet: ſiquidem fuerit recepta appellatio, quia recepta eſt, ſi verò non eſt recepta, ne præjudicium fiat ei, quoad deliberetur utrum recipienda ſit [109]. Sed quid ſi non eſt facta appellatio, an intrà biduum.

101 *Aviles in cap. 2. prætorum; verbo parcialidad. n. 22. 23. & 24.*

102 *Cap. 1. de appellat. lib. 6.*

103 *Cap. finem §. de dolo & contum.*

104 *Clement. fin. de verb. ſign.*

105 *L. properandum 11. C. de judiciis.*

106 *Cap. ut litigantes §. de offic. ord. lib. 6.*

107 *Ex l. cum reis 18. C. de pœn.*

108 *Clement. fin. de verb. ſign.*

109 *L. 1. ff. nihil in nov. appell. interp.*

biduum possit fieri executio? Respondè, [110] quod judex non potest exequi sententiam suam intrà tempus datum ad appellandum; idem est in causis criminalibus [111]; hoc de jure; de consuetudine verò servatur contrarium, quia illi decem dies non expectantur [112]. *Item* si Princeps rescribat aliquem puniri ultrà modum regularem, debet judex usque ad dies triginta differre, ut videat si Princeps pœnam relaxet [113].

Quintò judex non debet judicare secundùm conscientiam, sed secundùm acta, & probata, quia lex humana non judicat de occultis. Amplia quia non potest fundare suam sententiam nisi in iis quæ fuerunt in actis actualitèr producta, nec alitèr potest dicere sibi constare, etiam si essent aliàs gesta inter easdem partes, sed in aliâ instantiâ [114]. *Hoc in civilibus*; sed in criminalibus distinguendum est, aut enim probatur quod reus non commisisset delictum, judex tamen scit quod ille commisisset, debet tunc illum absolvere [115], licet propriis oculis viderit delictum committi, nec potest reum condemnare nisi aliter id probatum fuerit [116]; aliàs posset judex aliquem suspendi facere, & dicere quod ipse vidit aliquod maleficium ab eo committi; quod esset intollerabile; & licet aliqui dixerint quod poterit judex eo casu illum torquere, tamen in hoc etiam contrarium tenetur per Doctores. Benè ex eo quod judex videat aliquem delinquere poterit absque aliâ quærellâ, aut denuntiatione statim super eo informationes assumere, & sic iste erit unus ex casibus in quibus aperitur via judici ad inqui- 34

rendum

110 *Glos. verbo novari in d. l. 1.*

111 *Glos. margin. ad glosam proximam.*

112 *Additio ad glos. verbo, sententiam in d. l. cum reis C. de pœn.*

113 *Salicet. in l. si vindicari 20. C. de pœnis.*

114 *Tusc. lit. I. concl 398. n. 1. & 9.*

115 *Anton. Cardoso in prnxi verbo, Judex, n. 7.*

116 *Clar. in §. fin. quæst. 66. n. 2.*

rendum absque ullâ querellâ, denuntiatione, vel diffamatione præcedente; & adde quod etiam hoc casu danda est reo copia processus, & terminus defensionis [117]. Si autem probetur reum commisisse delictum, & judex sciat illum non commisisse [118], (*quidquid alii*) par, & æquum est, ac omni juri consonum, ut judex ille contra talem reum non adesse legitimam, idoneamque probationem existimet, & pronuntiet; etiam si Septuaginta testes contrà eum deponerent; quia qualis quanta ve esse debeat in quacunque re legitima probatio negandum est ulla lege precisè definitum esse; vel saltem non alitèr definitum, quàm sub moderamine ut judex possit circà id arbitrari. Justificatur, quia judex ex causâ potest facere transgressionem legum (si transgressionem nominare eam quæ fit ex causâ fas est) & legum, atque statutorum pœnas etiam consuetudinarias minuere, atque alterare; *& dic* standum esse assertioni judicis pronunciantis se ex causâ pœnam minuisse, vel alterasse; licet de causâ non constet; *sed* talem causam exprimere consultius, & tutius erit; *&*, sive superior is judex fuerit, ejus autoritas cum tam piæ, & justæ causæ expressione ad civium animos sedandos sat erit; sive inferior sit, cum ab ejus sententiâ ex parte accusatoris, vel fiscalis appellari possit, sicque nullum ferè præjudicium ea sententia adferat, quisnam superior tam immanis qui talem judicem accuset? quin potiùs eum laudibus efferet; quod intellige primò in foro animæ; deindè etiam in foro contentioso [119].

117 *Clar. §. fin. quæst. 8. n. 5.*

118 *Cardoso supra.*

119 *Membaca controv. illustr. lib. 1. cap. 14. n. 3. 4. 5. & 12. ubi plura.*

Sextò judex non poteſt judicare ſuper non petitis in libello, vel petitione; *ſic* quando petitio eſſet de uno, & probatio de alio non poteſt ſecundum probata pronuntiare, ſed debet abſolvere reum ab obſervatione judicii [120]; ſententia *enim* debet eſſe conformis libello [121]. Ratio eſt quia reus debet certificari per petitionem actoris, ut ſciat utrùm cedere, vel contendere debeat [122]; & quia ſi in libello peto aliquam rem, lis conteſtatur ſuper illâ; ſi poſteà judex ferret ſententiam in alio, certè ferret ſententiam in eo quo non eſt lis conteſtata; ſed ſententia ſine litis conteſtatione nihil valet [123]. Vide Jaſonem qui ponit regulam cum pluribus limitationibus [124]. *Loco in margine.* 35

Septimò nemo judex vel arbitèr exiſtimet neque conſultationes quas non ritè judicatas eſſe putaverit ſequendum, & multò magis ſententias eminentiſſimorum præfectorum, vel aliorum procerum (non enim ſi quid non benè dirimatur hoc & in aliorum judicum vitium extendi oportet, cum non exemplis, ſed legibus judicandum ſit) neque ſi cognitionales ſint ampliſſimæ præfecturæ, vel alicujus maximi magiſtratus prolatæ ſententiæ; ſed omnes judices veritatem, & legum, & juſtitiæ ſequi veſtigia eſt ſancitum [125]. *Unde* diverſæ ſententiæ à diverſis judicibus inter diverſas perſonas ex unâ, eâdemque facti ſpetie ferri poſſunt [126]. Sed quando una lex vel ſtatutum habet varios intellectus non poteſt allegari ad deciſionem cauſarum, nec eſt nulla ſententia contra lata [127]. 36

Stylus ſervari omninò pro lege debet [128]; ſive pertineat

120 *Tuſc. lit. I. concl. 398. n. 14. & 20.*

121 *Bald. in l. ut fundus 18. ff. commun. divid.*

122 *Tuſc. lit. 5. concl. 135. n. 2.*

123 *Iaſ. in l. vinum n. 23. ff. ſi cert. pet.*

124 *Tuſc. ubi prox. n. 1.*

125 *L. nemo 13. C. de ſentent. & interlocutor.*

126 *Menoch. conſ. 59.*

127 *Iaſ. in lect. l. ad monendi, n. 67. & 68. ff. de jurejur.*

128 *Menoch. conſ. 100. n. 74.*

129 *Gratian. deciſ. 237. n. 18.*

130 *L. 1. §. ſed ſed & ſi quæ leges C. vet. jur. enucl.*

131 *Afflict. deciſ. 173. n. 3.*

pertineat ad judicii ordinationem, sive ad decisionem litis [129]; & quod consuetudo comprobavit [130], quia in casu dubio est optima legum interpres [131]. Iddem dicimus de praxi antiquâ [132]; ut non immeritò vocetur practica vera intellectrix legum, & tunc leges sapiunt cum habent practicam, & tunc fructus ex arbore colligitur, & virtus consistit in modo exercendi, & ipsa praxis dicitur lumen legum [133]. Solent interpretes nostri constituere differentiam inter consuetudinem ritum, & stylum [134], *& quærere quomodo probentur, quia* cum sint facti non præsumuntur [135], hinc est, quod alleganti incumbit onus probandi [136], *sed* existimant omnes difficilem admodum esse probare [137]; *de quibus quia nostram brevitatem excedunt, ultrà citatos in margine vide* Bart. in lect. l. de quibus ff. de legib. *interim scias quod* in stylo strictissima fit interpretatio [138]; consuetudo *verò* rationabilis extenditur de casu expresso ad casum tacitum in quo eadem ratio reperitur [139], nam & consuetudo præcedens, & ratio quæ consuetudinem suasit custodienda est [140]; quando *autem* una habet aliam contrariam recurrimus ad jus commune [141].

Deinde judex debet sequi communem opinionem Doctorum [142], dicimus *enim* opinionem illam dici veriorem quæ à maiori parte Doctorum recipitur, & approbatur [143]. Quid sit communis opinio? ex quibus constituatur? qui numerus, & authoritas Doctorum faciant communem opinionem? magis communis quo excessu constituatur? authoritas Doctorum maior, & minor quomodo

132 *Gam. decis. 8. n. 7.*

133 *Rebuff. ad tit. de verb. sign. l. 87. versic. ex consuetud. n.*

134 *Menoch. de præs. lib. 2. præs. 8. n. 2.*

135 *Menoch. sup. n. 8.*

136 *Mascar. concl. 1338. n. 2.*

137 *Menoch. cons. 8. n. 16.*

138 *Ex Flamin. de resignat. lib. 3. quæst. 18. ex n. 76.*

139 *Bald. in l. 1. in princip. C. quæ sit longa consuet.*

140 *L. 1. C. quæ sit long. consuet.*

141 *Gama decis. 78. n. 11.*

142 *Nevisan. in silva nupt. lib. 5. n. 1.*

143 *Menoch. lib. 2. præs. 71. n. 2.*

consideretur ? qui Doctores faciant opinionem & numerum ? Doctori attestanti de communi an, & quomodo sit credendum [144] ? an melioris, sanioriſve partis, aut quæ meliori nititur ratione dicatur communis opinio [145] ? ut intelligatur quid sit [146], *quia noſtram excedit brevitatem vide per citatos in margine* ; & extende quod non solum communi opinioni est standum in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ, & animæ [147].

Ubi textus non invenitur, *vel communis opinio* sufficit gloſa, quod gloſator est collector veritatis [148] ; cujus autoritas cæterorum autoritatem superat [149] ; (intelligitur de omnibus singulis, non de omnibus, seu pluribus simul junctis [150]) est idolum advocatorum [151] ; & juris idolum [152] ; & qui nescit equitare sicut tenetur se tenere ad arsonem, ita judex ad opinionem gloſæ [152] ; *quod* eousque verum est, ut non sit præsumendum pro sententiâ judicis qui non sit solitus sequi sententiam gloſæ [153], *& adverto* quod si gloſa reprobata non inveniatur expreſsè, pro comprobatâ debet haberi ; & tunc dici potest quod omnes eam sequantur ex quo nullus abeâ dissentit [154].

Poſt gloſam Bartolo debet plus credi tanquam magistro omnium in jure civili [155], est juris civilis speculum, & lucerna ; pater juris [156], legalis doctrinæ facilè Princeps, cujus unius sententia multis, & mihi est instar omnium [157], cujus tanta est autoritas, ut in Hiſpaniâ facta sit constitutio quòd non judicetur contrà doctrinam Bartoli [158] *& in Lusitaniâ ait lex*, quando per supradictas gloſas

(*Accurtii*

144 *Ant. Maria Coraſ. de commun. opin. lib. 1. a tit. 1. cum ſeqq. in 1. vol. com. opin.*

145 *Macagna. Azoguidi. de com. op. lib. 3. ex cap. 5. in d. 1. vol.*

146 *Cevallos commun. lib. 1. in præfat. n. 8.*

147 *Aviles in cap. 1. prætorum verbo fiel. n. 15.*

148 *Neviſan. lib. 5. ſi. v. nupt. n. 25. in princ.*

149 *Morla in empor. 1. p. tit. 1. quæſt. 12. n. 3.*

150 *Ant. Mar. Coraſ. de com. opin. lib. 2. tit. 9. n. 28.*

151 *Ceval. commun. in præfat. n. 63.*

152 *Morla ſupra.*

153 *Maſcar. concl. 842. n. 3.*

154 *Maſcard concl. 1138. n. 19.*

(*Accurtii*) casus non fuerit decisus, servetur opinio Bartoli, quia ejus opinio communiter rationi est conformior, quamvis aliqui Doctores tenuissent contrarium; nisi communis opinio Doctorum qui post eum scripserunt fuerit contraria [159].

Post hæc Monter. dicit quod decisio Doctoris in specie habet vim legis, quamvis sine autoritate loquatur si non adsit contradictor [160]; *sed non probo, quia nihil tam durum, (ne dicam absurdum) ad cujus comprobationem (proh dolor!) Doctor in specie non inveniatur; unde* dic quod prodita sunt remedia [161], *juxta supradicta* in Qualit. 14 n. 5. *ad quæ* ingenio maximè opus est [162].

Si glosa vel unus Doctor ponit plures opiniones, & nullam approbat, absolutè loquendo interpretari debemus, ultimam approbatam videri; hæc est enim communis opinio [163]; sed tamen hoc non concludit de necessitate [164], qui enim solutè, vel alternatim loquitur non unam magis quàm aliam partem approbasse censetur; illa approbatior censeatur opinio quæ pluribus rationibus defenditur, item quæ ex verbo aliquo electivo, vel similitudine sequentium exemplorum confirmatur; item [165] nisi prima opinio loqueretur de æquitate, secunda saperet rigorem [166]. Aliquando concurrunt duæ opiniones contrariæ, quarum una procedit de Jure Canonico, altera de Jure Civili, & in hoc casu est tenenda opinio Canonistarum quando in foro canonico tractaretur, *vel* in terris Ecclesiæ quo ad temporalem jurisdictionem; quando autem

155 *Nevisan. d n. 25 ante med.*

156 *Iaf. in l. quidam cum filium n. 37. ff. de verbor.*

157 *Tiraq. ad l. si unquam in præfat. n. 154.*

158 *Mantalu decis. novissim. vol. 6. n. 5.*

159 *Ordinatio Regia Lusitaniæ, lib. 3. tit. 64. §. 1. in fin.*

160 *Gratian. discept. tom. 2. cap. 336. n. 23.*

161 *Macagnan. de com. opin. lib. 3. cap. 14. n. 1. in 1. tom. com.*

162 *Everard. in loc. arg. in præfat. versic. ac primum.*

163 *Macagn. sup. cap 13. n. 1.*

164 *Bart. in l. bona fides 31. n. 2. ff. de post.*

tem in foro civili, Legistarum opinionem sequi debemus [167]; si jus civile non fovet peccatum [168]; in materiâ verò [169] *in qua* jus civile fovet peccatum [170], Jus Canonicum in utroque foro esset servandum; & hoc etiam procedit si agatur de peccato veniali tantùm [171]; fallit tamen in dispositis ad pias causas, quia in illis Jus Canonicum est servandum in utroque foro [172]. Cum sunt partium jura obscura [173], irridere soleo eos qui existimant esse in jure quæstionem quæ omninò pro amico decidi possit; impossibile enim est quod duæ quæstionis partes, & mutuò pugnantes æquè placeant ei qui jura expendat, & leges; nisi malit tanquam ex acervo obcœcatâ mente eam partem probare, & accipere quæ utcunque placeat [174]; adnotare convenit judicem moveri non oportere vel amicitiâ, vel alio animi motu, sed Deum solùm spectare debere, & in eam partem inclinare in quam eum ratio aliqua trahit; & tutum non esse opinor illum, qui, opinionum varietate confisus, pro amico, volens ei gratificari, sententiam fert [175]; *imó* infero peccare, constat enim contrà dubietatem animi agere, & exponere se periculo tollendi jus suum alteri parti, ac consequenter mortaliter peccandi [176]: maximè quia in jure non reperitur decisum quod pro amico sit judicandum in casu dubio, sed [177] pro reo [178]; tam in civilibus, quam in criminalibus [179]; nisi actor foveat favorabilem causam, puta matrimonii, libertatis, testamenti, vel dotis, quia favendum est actori [180]; idque trahit ad omnem piam causam Specul; & ad omnem causam

165 *Alciat. in d. l. bona fides n 24. & 26.*

166 *Appostilla ad Bart. supra in verbo non respondet.*

167 *Cevallos com. in pref. n. 50. & seqq.*

168 *Tiraq. de pia causa privil. 163. n. 1.*

169 *Cevall. sup. n. 53.*

170 *Tiraq. supra.*

171 *Cevall. sup. n. 53. & 54.*

172 *Tiraquel. supr.*

173 *Cap. cum sunt 11. de reg. jur. in 6.*

174 *Ioan. Garcia de nobilit. in initio n. 11.*

175 *Menoch. de retin. remed. 3. n. 766. & seq.*

176 *Navarr. in cap. si quis autem de panit. dist. 7. n. 130.*

causam favorabilem Bald.[181] *sed* judex in dubio adversus fiscum an & quando judicare debeat[182]? *Vide per Menoch. & Peregrin. in margine*, non *tamen unquam* puto delinquere eum qui in dubiis quæstionibus contrà fiscum facilè responderit[183]. *Item* plura dantur remedia, quod Princeps consulatur; quod judex hortetur partes ad concordiam, & si preces non sufficiunt eas ad concordiam compellere debet, quod potest; quod dividat per medium; *sic constat* id, ut judex pro amico judicet, tanquam falsissimum omninò respuendum non solùm de honestate, sed etiam de veritate, & in conscientiâ[184]. *Semper autem* tenenda est opinio quæ concordat distinguendo varias sententias, quia distinguens proximus est veritati[185]. Subtilisare pernicioſum est absque dubio aliquo, præsertim in Rotâ, & Parlamentis, in quibus judices, ut plurimùm æquitati penitùs inhærent[186]. Subtilitas immoderata dum plusquam decet exercetur actionis suæ rectitudinem ipsa confundit; volat super penas ventorum, oculos suos trans cœlum levans, & ultrà profundum terrarum, & abyssi quoddam inane demergens; & stateras dolosas non jure atulit, quibus non rationis, sed voluntatis arbitrio quod voluit appendit; posuitque os suum super cœlum, linguâ transeunte super terram; non attendens quod citò sæpè ruit qui super astra volat[187]. Nimia subtilitas, est juris impossibilitas[188], in quo genere plerunque sub autoritate juris scientiæ perniciosè erratur[189], hinc dicit proverbium, quod nimis subtilibus decidunt femoralia; nimia subtilitas est odiosa

177 *Cevall. sup. n. 103.*

178 *D. cap. cum sunt de reg. jur.*

179 *Glos. margin. in l. favorabiliores 167. ff. de reg. jur.*

180 *Glos. 1. jud. cap. cum sunt.*

181 *Tiraq. de pia caus. priv. 146.*

182 *Menoch. lib. 2. præs. 72. Peregrin. de jur. fisci lib. 7. tit. 3. ex n. 43.*

183 *L. non puto 10. ff. de jure fisci.*

184 *Ant. Mar. Coras. de com. opin. lib. 2. tit. 9. casu 32. n. 164. 169. 170. 177. & 175. in 1. tom. com.*

185 *Surd. decis. 58. n. 5. in 1. p.*

186 *Vivius in 3. tom. com. opin. loco 7. de ult. vol. tit. 4. cap. 24. vers. itaque fol. mihi 41. pag. 1.*

187 *Specul. in tit. de advoc. §. nunc de exordiis, n. 21. verſ. ſubtilitas.*

188 *Gloſ. verbo, ſubtilitatem in l. ſi mulier §. ex diſſe ff. de jur. dot.*

189 *L. ſi ſervum 91. §. ſequitur ff. de verbor. oblig.*

190 *Neviſan. lib. 5. ſilv. nupt. n. 67. poſt med.*

191 *Specul. lib. 1. tit. de offic. omn. jud. §. deſervit. quoque n. 23. & 24.*

192 *Tuſc. lit. I. conel. 380. n. 1.*

193 *Tuſt. ſup. concl. 382. n. 1. et 7.*

194 *L. reſpiciendum 11. ff. de pœn.*

oſa legibus, & licet tolleretur in diſputando, non tamen in judicando, ſimplicitas enim eſt illa quæ commendatur; & ſæpè videmus Doctores dicere: iſta opinio in puncto juris eſt verior, ſed contraria ſervaretur in practicâ; imò plus dicit Lancelot. quod quando Doctor dicit, & iſta opinio eſt de jure verior, quod vult dicere, ergo contraria ſervaretur in practicâ [190].

Octavò generaliter, debet judex in quâcunque parte litis diligenter cuncta rimari; lites dirimere; à laboribus, & expenſis partes relevare; partes ad compoſitionem inducere; malitiis hominum obviare; exceptiones arctare, crimina punire; æquitatem ſemper præ oculis habere; dubia interpretari; lite pendente partes defendere ne ſe ad invicem gravent; caſſare quidquid innovatum eſt, & punire impedientes ſuam juriſdictionem [191]. Judex Dei miniſter eſt in terris, & ut judicium ejus procedat de vultu Dei qui via, veritas, & vita eſt, debet conformare judicium ſuum veritati [192]; debet aſſimilari ſupremo judicii, videlicet Deo; in pœnis infligendis debet eſſe humanus, quia exemplum Dei eſt [193]; reſpiciendum *tamen* eſt judicanti ne quid aut durius, aut remiſſiùs conſtituatur quàm cauſa depoſcit; nec enim aut ſeveritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt; ſed per penſo judicio, prout quæque res expoſtulat ſtatuendum eſt. Planè in levioribus cauſis proniores ad lenitatem judices eſſe debent; in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi [194]. *Tandem* judicet 37

ille

ille de alterius errore qui non habet quod in ſeipſo condemnet; judicet ille, qui non agit eadem quæ in alio putaverit punienda, ne cum de alio judicat, in ſe ferat ipſe ſententiam; judicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nullâ offenſione, nullâ levitate ducatur. Bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis, ſed juxtà leges, & jura pronuntiat; ſtatutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; nihil paratum & meditatum domo defert, ſed ſicut audit, ita judicat; & ſicut ſe habet negotii natura decernit; obſequitur legibus, non adverſatur; examinat cauſæ merita, non mutat; diſcite judices ſæculi quem in judicando tenere debeatis affectum, quam ſobrietatem, quam ſinceritatem [195].

195 *Cap. judicet. 3. quæſt. 7.*

In republicâ alio modo gubernandâ.

38 *Promittitur vobis, ſtudiorum* toto legitimo opere perlecto poſſe etiam rempublicam in partibus ejus vobis credendam gubernari [196]; & quod dicit, in partibus ejus, ideò eſt, quia multæ ſunt partes ejus, ut præfectura, & aliæ multæ, ut patet in tractatibus de officiis ff. & in Codice [197]; *querum quia nonnulli ad aliud ſpectant quàm ad judicandum*, & animadverto id perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat [198]; *de aliis modis gubernandi rempublicam ago*; *ſed quia nec* velim verboſos commentarios facere [199], *neque* ea quæ jam *à politicis* perorata ſunt iterùm reſuſcitare [200], *unum dico, quod* utilitatem civium ſic magiſtratus tueantur, ut quæcunque agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum; & totum corpus reipublicæ curent;

196 *§. fin. in proœm. inſtit.*

197 *Gloſa in d. §. fin. verbo, vobis.*

198 *L. 1. ff. de orig. jur.*

199 *D. l. 1. de orig. jur.*

200 *L. ampliorem §. in reſutatoriis, C. de appellat.*

ne, dum partem aliquam tueantur, reliquos desetant [201]. Boni Imperatores rempublicam parentibus, & filiis prætulerunt [202], chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro quâ quis bonus dubitet mortem appetere, si ei sit pro futurus [203]? Vir sapiens, bonusque gubernabit semper ita ad subditorum salutem respiciens, ut ad nautarum, navisque salutem respicit gubernator [204], & ut contemnendus est qui in navigando se, quàm navim mavult incoluuem, ita vituperandus qui in reipublicæ discrimine suæ plus, quàm communi saluti contulit [205]. Non minus curæ esse debet qualis respublica post mortem suam futura, quàm qualis hodiè sit [206].

201 *Cicero 2. offic.*

202 *Div. Ambros. de obitu Theodos.*

203 *Cicero 1. offic.*

204 *Plato lib. 1. civili, vel de Regno.*

205 *Cicero ad Heren. 4.*

206 *Cicer. in Læl.*

De legibus ferendis quod jurisperito peculiare munus dicamus. In novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure quod diù æquum visum est [207]. Omnibus perspicuum est, neminem leges novas facilè susceпturum; omnes eas leges colunt, & innovare formidant in quibus educati sunt, si illæ divinâ quadam fortunâ longis temporibus stabilitæ fuerint [208]; & multò melior est status civitatis, quæ, licet deterioribus, firmis tamen legibus utitur, quàm illius quæ bonis quidem, sed quæ per indè non observentur [209]; ac tota vis parendi legibus in more posita est, qui mos, nisi longo tempore, non ingeneratur; itaque ex pristinis legibus in novas mutatio legis potentiam infirmat. *Unde* cum parva commoditas invitaverit, quia nocet reipublicæ ut cives assuescant facilè leges 39

207 *L. 2. ff. de const. Princip.*

208 *Plato dial. 6. de legib.*

209 *Thucyd. lib. 3. in orat. Cleonis.*

ges antiquare, haud dubiè satius fuerit peccata quædam legumlatorum, & magistratuum permittere [210], & aliquid à maioribus non omninò optimè constitutum tolerare, quàm id multarum ætatum usu receptum, & comprobatum, dum quasi iniquum tollere volumus, universæ civitatis otium, atque pacem perturbare; aut etiam in aliquod seditionis discrimen eam adducere. Tum illud addo, quod ex novis legibus, quàm ex veteribus, plerunque maiora nascuntur incommoda [211]; nec tantùm legum mutatio profuerit, quantum consuetudo imperantibus non parendi nocebit [212]. *Quapropter* leges firmitèr retinete, neque quicquam in his mutate, nam quæ eadem semper manent, & si sint non nihil vitiosa, utiliora tamen sunt, his quæ subindè, etiam si in melius, innovantur [213].

Non *tamen* debet reprehensibile judicari si secundùm varietatem temporum statuta quandoque varientur humana; præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit; quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri testamento statuerat nonnulla mutavit in novo [214]. *Sed* dabit operam optimus *legislator* non ut multas leges condat, sed ut quam optimas, maximeque reipublicæ salutares; nam benè institutæ civitati sub bono principe, & integris magistratibus paucæ leges sufficiunt [215]; veteres Athenienses existimabant multitudinem, & nimis exquisitam legum constitutionem signum esse mali status reipublicæ [216], hoc & à Platone dictum est; quibus leges adsunt plurimæ iis & vivendi ritus depravatos esse; sicut quibus plures

210 *Aristot. 2. polit. cap. 6.*

211 *Tacit. lib. 14. annal.*

212 *Aristot. supra.*

213 *Dion. Cassius lib. 53.*

214 *Cap. non debet 8. de consanguin. & affinit.*

215 *Strab. lib. 6. geographiæ.*

216 *Isocrates in Areopagitica.*

sunt medici, iis & ægritudines plures adesse probabile est [217]. Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat; nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta [218], illud etiam legislatoribus multi præcipiunt, ut leges hujusmodi ferant quales multitudo, & populus libentèr suscipiat [219]: Cum Solon publica negotia tractare, ac leges describere aggressus esset, atque id apud Anacharsim percrebuisset, impensam Solonis operam & studium vehementèr irrisisse aiunt: quippè qui existimaret, se injurias civium, & cupiditates literis coercere posse, quæ nihil ab arenearum telis differrent; sed quemadmodùm illæ, sic hæ ex captis debiles, atque imbecilles detinent, à locupletioribus autem, atque potentioribus rumpuntur. Ad hæc Solonem respondisse dicunt: conventiones tamen, & pacta homines servare solere, quæ transgredi, ex contrahentibus nemini conducat: eodem modo se ita civibus leges accommodare, ut eas servare, quàm non, utilius; & salutarius omnibus esse videatur; *sic* leges ad rempublicam accommodari debent, & ab omnibus accommodantur, non ad leges respublica [220]. Minima tantùm arbitrio judicium relinquere debent [221]. Primùm quia unum aut paucos prudentes qui leges ferre possint, aut judicare, facilius est invenire, quàm multos. Deindè, quoniam longi temporis consideratione leges feruntur;

judicia

217 *Strabo supra.*

218 *Cap. erit autem distinct. 4.*

219 *Plato lib. 3. de legibus.*

220 *Plutarchus in Solone.*

221 *Simancas de rep. lib. 4. cap. 18.*

judicia breviſſimè conficiuntur, difficile eſt ut benè à judicibus juſtum, & conducibile diſtribuatur. Illud autem omnium maximum eſt, quod legiſlatoris judicium non de ſingulis, nec de præſentibus, ſed de univerſalibus, & futuris eſt, Senator vero, & Judex de præſentibus, jam determinatiſque judicant; undè fit, ut cum ament, & oderint, ſua quoque utilitas connexa ſit, non ſatis queant veritatem perſpicere, ſed propria, vel voluptas, vel dolor judicia ſua obumbret[222]; *item* ne in rebus maioribus arbitrio proprio judices abutantur, & legibus ſapientioribus ſe eſſe arbitrentur[223]. Factum verò eſſe aut non factum, cum non poſſit lator legis providere, judicibus relinquendi neceſſariò ſunt[224]. *Vnde* Papinianus reſpondit, facti quidem quæſtio in arbitrio eſt judicantis; pœnæ vero perſecutio non ejus voluntati mandatur, ſed legis autoritati reſervatur[225].

Ve qui condunt leges iniquas[226]; *nam* flagitioſa lex urbis ejus in quâ recipitur eſt publica ignominia, & dedecus; *& patet* leges malas etiam florentibus rebuſpublicis nocere[227]; *quinimo* mihi lex non videtur quæ juſta non fuerit[228]; non enim jura dicenda ſunt, vel putanda iniqua hominum conſtituta, cum illud jus eſſe dicant quod de juſtitiæ fonte manaverit[229].

Quantum ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Vetus proverbium eſt: nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus; nam valdè inhumanum eſt à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum; & omnia, avariſſimum; & quod mandatis continetur, ne do-

222 *Ariſtot. lib. 1. Reth. cap. 1.*

223 *Martian. lib. ad Turpillian.*

224 *Ariſtot. ſupra.*

225 *L. 1. ff. ad Turpillian.*

226 *Iſaiæ cap. 10.*

227 *Demoſthenes adverſus Leptinem.*

228 *Div. Auguſtin. lib. 1. de libero arbitr.*

229 *Div. Auguſtin. lib. 19. de civ. Dei, cap. 21.*

num, vel munus qui in officio erit accipiat, ad xeniola non pertinet, ſed ad ea quæ ædulium excedant uſum [230]. Acceptio *verò* nummorum prævaricatio veritatis eſt [231].

230 *L. ſolent 6. §. fin. ff. de offic. proconſul.*

231 *Cap. qui rectè 11. quæſt. 3.*

CAPVT XXIV.

Diverſa pro appendice minus neceſſaria, ſed quæ, curioſitatis gratiá, ab ſcriptoribus non omittuntur.

NOn paucos ſtudioſorum juvenum reperies, qui, ſeducti cupiditate, & utilitate fœlicis memoriæ, efflagitant ſibi precibus, & pretio, Anacardinam confectionem dari; &, quod deteriùs eſt, medicos etiam reperies, qui precibus, & pretio obtemperantes, non citrà magnum multorum juvenum bonæ indolis, & optimi ingenii ſupplitium, id turpitèr exequuntur; quo non pauci, vel judicio confracto, vacillant, vel memoriæ nihil ampliùs recuperant, vel capitis ingentibus doloribus miſerè cruciantur [1]; *ideò modum eam conficiendi omittimus apud* Meſue de electuar. diſtinct. 1. Arnald. de Villa nova, cap. 28. lib. 1. Ludovic. de Ovied. Method. lib. 3. *& alia remedia apud* Joan. Velaſcum, 1

1 *Merendus de intern. cur. lib. 2, cap. 19.*

Velaſcum, quorum experientia oſtendit magnum inconveniens, & parvam utilitatem [2]; *quare* dicendum, quod memoria non ſolùm à naturâ perficitur, ſed etiam habet plurimum artis, & induſtriæ; & ſunt quatuor per quæ homo proficit in benè memorando; quorum primum eſt, ut eorum quæ vult memorari quaſdam ſimilitudines aſſumat convenientes; nec tamen omninò conſuetas, quia ea quæ ſunt inconſueta magis miramur, & ſic in eis animus magis, & vehementiùs detinetur. Secundò oportet, ut homo ea quæ memoritèr vult tenere ſuâ conſideratione ordinatè diſponat, ut ex uno memorato facilè ad aliud procedatur. Tertiò oportet, ut homo ſolicitudinem apponat, & affectum adhibeat ad ea quæ vult memorari; quia quantò aliquid magis fuerit impreſſum animo, tantò minus elabitur. Quartò oportet quod ea frequenter meditemur quæ volumus memorari [3]. *Tandem* nihil æquè vel augetur curâ, vel negligentiâ intercidit [4].

2 *Ex Ioan. Velaſc. in arte memoriæ, lib. 1. lect. 11. §. 15.*

3 *Div. Thom. 2. 2. quæſt. 49. art. 1. ad ſecundum.*

4 *Quintilian. lib. 11. orator. cap. 2.*

2 Ut claram vocem habeas, recipe pulverem floris Sambuci ad ſolem exſiccati, cum vino albo, & jejunus bibe. Iddem, & meliùs operabitur ſuccus apii [5].

5 *Ex Hieron. Cort. in ſecret. nat. tract. 4.*

3 Ut in caſu neceſſitatis atramentum conficias breviſſimè ad ſcribendum; recipe tegulam novam, (vel ſi non ſit nova excicca bene ad ignem) cui per cavam partem applica lychnum, ſive

sive Lampadam oleo ardenrem, cujus sit crassum ellycnium; & pòst paulùm temporis, ramo calami verre in tegula pulverem quem flama creavit; & fac quoties opus fuerit ad desideratam quantitatem; mittensque in atramentarium, vel aliud vas, misce vinum, vel aquam; & scribe [6].

6 *Ex Gaspare Cardoso in compend. secret. parte* 1. *secreto* 1.

Ut tollas maculam olei à papyro, vel membranâ, recipe ossa pedum arietis, & ure illa in furno; & in pulverem redacta cribro in cerne; imponeque maculæ, & bene preme ac constringe, & post triduum signum maculæ non videbitur [7]. 4

7 *Ex Cortes sup. pag. mihi* 58.

Ut tollas lituram seu atramenti maculam, recipe succum cæpæ albæ, & impone, ac pòst breve intervallum frica subtiliter lanæ paniculo, & maculam tolles; dummodò atramentum usque in partem adversam papyri, vel membranæ non penetraverit [8]: melior est succus mali citrei, quia non solùm nigrum consumit, sed nec signum relinquit [9]. 5

8 *Ex Cortes d. fol.* 58. *vers.*

9 *Ex Cardoso sup.* 2. *p. secreto* 1.

Quomodo diversi coloris literæ scribantur, vide per Hieronym. Cortes. in margine; idem ait: notent parentes qui habent liberos literis destinatos, quod cum primitus ad quamlibet scientiam perdiscendam in academiam eos miserint, faciant inspicere tempus quo luna sit in aspectu amicitiæ cum planetâ Mercurio; hoc enim tempore si incipiant, minori cum labore, & maiori cum perfectione discent; & utilius 6

lius erit si Luna vel Mercurius in signo Geminis, aut Virginis tunc inveniatur [10]; *sed hoc nimium.*

10 *Ex Cortes sup. fol. 54. v. ers. ad fin.*

IAmque opus exegi [11]; *&* benè se res habet, cujus fundamenta non sunt solubili luto posita, sed *bonarum literarum* confectione valida, & *optimi* magisterii arte firmata; cum enim hoc opus manus quodammodo *meliorum* voluminum instruxerit, & *receptarum* Scripturarum compago solidarit, necesse est tam firma hæc esse quæ facta sunt, quàm firma illa sunt quæ fecerunt ædificium; itaque hoc naturam status sui de stirpe sumet; & labefactari, salvis autoribus suis, non potest; sicut enim in terrenis ædificiis dejicere parietes nullus potest, nisi priùs lapides, & cementa dejecerit, sic ædificium quod struximus dissolvere nullus valet, nisi id undè structum, & consummatum ante dissolverit; quod quia labefactari utique nequaquam potest, rectè etiam à nobis incolumitas ædificii præsumitur, cujus status subsidiis immortalibus continetur [12].

11 *Ovid. in fine Metamorphos.*

12 *Salvian. de vero judicio Dei, lib. 3. in princip.*

Itaque alacri studio accipite [13] quæ à nobis

13 *§. fin. in proœm. Instit.*

 composita

14 § Discipuli in proem. ff.

15 D. § fin.

16 D. §. discipuli.

17 §. illud vero ad fin. in d. proem. ff.

compositæ sunt; his perlectis sic vos ostendite, ut [11] & oratores maximi, & justitiæ satellites inveniamini; & judiciorum optimi tam athletæ, quàm gubernatores in omni loco, ævoque fœlices [16], & vos maximum decus in omne sæculum sequatur [17].

Finis

Sub correctione Apostolicæ Sedis, quæ est Caput omnium sanctarum Ecclesiarum [18].

18 Epist. Iustiniani ad Pap. Ioan. in l. fin. C. de summ. Trinit.

F209431

54729.5



46009